

ORDINATIONES PRAEPOSITORVM GENERALIVM

Instructiones, & Formulæ Communes toti Societati.

Auctoritate V. Congregationis generalis recognitæ.

ROMÆ, In Collegio Rom. eiusdē Societat.

Anno Dñi MDCVI.

CVM FAC. SVPER.

AD SVPERIORES SOCIETATIS IESV.

ORdinationes Præpositorum Generalium, Instructiones, ac Formulæ diuersis subinde temporibus pro rerum necessitudine primùm confectæ; auctoritate deinde Quintæ generalis Congregationis recognitæ, & ad publicæ vtilitatis bonum excusæ; demum annis elapsis toti Societati indictæ ac peruulgatæ ex animo successere. Hæ recudendæ cum forent, Decr. 9r.

visum est non incommodum illis prioribus has posteriores attexere: in eundemque numerum atque ordinem hinc inde diffusas digerere. Et quidem nihil optatius fuisset, quam has in non volumen excrescere; quin nullis legibus teneri, sed interna solum charitatis & amoris illius lege gubernari, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet. Verùm cum has & illas perscribi, sancirique multa iußere, longa die & vsu sic edocente: & vsurpari quotidie necesse sit, vt salutarium monitorum quasi luce anteirent suis qui præsunt; vel quod difficile cum sit homini in hominem imperium, nonnisi per habenas legum ad vnius mentem dirigitur; vel quòd homines cum simus, maxime opis egemus alienæ, ne labamur; nemo non videt, & legentium commodo, dum labore illo diffuso leuantur,

Prœm. Const. §. 1.

tur,

tur, & perfectæ regularum obseruationi, dum memoria tenentur, non parum conducere, si singulæ earumdem memoriæ in vnam colligatæ, quasi in tabula vno sub aspectu positæ legerentur. Quod sanè consilium cum Quintæ Congregationis instituto maximè consentaneum esse credimus, tum valde consonum Prouinciarum votis, quarum rogatu & bono hic labor suscipitur, & Superioribus non iniucundum fore confidimus. Quamobrem cum in peculiari instituti nostri ratione adimplenda, summa perfectionis nostræ versetur; & hisce ordinationibus, à quibus maxima ex parte vniuersa res nostra pendet, eius adeptio plurimum iuuetur; annitendum erit nobis singulis, & quidem Superioribus fortitudine & vigilantia; subditis verò summa voluntate & animi alacritate, vt nihil perfectionis in absoluta no-

visum est non incommodum illis prioribus has posteriores attexere: in eundemque numerum atque ordinem hinc inde diffusas digerere. Et quidem nihil optatius fuisset, quam has in non volumen excrescere; quin nullis legibus teneri, sed interna solum charitatis & amoris illius lege gubernari, quam sanctus Spiritus scribere, & in cordibus imprimere solet. Verùm cum has & illas perscribi, sancirique multa iußere, longa die & vsu sic edocente: & vsurpari quotidie necesse sit; vt salutarium monitorum quasi luce anteirent suis qui præsunt; vel quod difficile cum sit homini in hominem imperium, nonnisi per habenas legum ad vnius mentem dirigitur; vel quòd homines cum simus, maxime opis egemus alienæ, ne labamur; nemo non videt, & legentium commodo, dum labore illo diffuso leuantur,

Prœm. Const. §. 1.

tur,

tur, & perfectæ regularum obseruationi, dum memoria tenentur, non parum conducere, si singulæ earumdem memoriæ in vnam collígatæ, quasi in tabula vno sub aspectu positæ legerentur. Quod sanè consilium cum Quintæ Congregationis instituto maximè consentaneum esse credimus, tum valde consonum Prouinciarum votis, quarum rogatu & bono hic labor suscipitur, & Superioribus non iniucundum fore confidimus. Quamobrem cum in peculiari instituti nostri ratione adimplenda, summa perfectionis nostræ versetur; & hisce ordinationibus, à quibus maxima ex parte vniuersa res nostra pendet, eius adeptio plurimum iuuetur; annitendum erit nobis singulis, & quidem Superioribus fortitudine & vigilantia; subditis verò summa voluntate & animi alacritate, vt nihil perfectionis in absoluta no-

strarum legum obseruatione Christo aspirante omittamus, quo minus maiora capiat in diem incremēta nostri ad virtutem progreßio: quin ad illum ipsum spiritum, quem à primis annis purum hausimus in Societate, ad auitæ vocationis nostræ formam pro viribus effingamus. Et quia vna eademque catena constringimur, qui imperamur cum imperante, mutuis inter se studijs decertent necesse est Superior ac subditus in hac palæstra virtutis, hic se facilem præbendo, ille fortiter & constāter agendo: quorum nisi mutua desudabit industria, vanus profectò & irritus fiet hic labor. Nam vt multum interest, à qua manu telum veniat, sic in lege vt penetret, valde facit Superioris constantis auctoritas. quemadmodum & ipsa lex quamuis optima, & ab optimo latore, nisi inciderit in concipientem com-

prehendentemque naturam, instar seminis in bono solo, vix se explicat, & ad maturitatem pertingit. Valete, & ab optimo satore Christo Iesu huic suæ spiritus pinguedinem & vbertatem vineæ enixe precamini. E Professa Domo Romana, Nonis Septembribus. Anno Redemptionis nostræ. M.D.VI.

Mandato R.P.N. Generalis.

Bernardus de Angelis Secretarius.

IN-

INDEX ORDINATIONVM INSTRVCTIONVM, ET FORMVLARVM.

Quæ hoc volumine continentur.

Ordinationes R. P. N. Euerardi Mercuriani.

R. P. N. Claudij Aquauiuæ.

INSTRVCTIONES.

In-

In-

FORMVLAE.

FINIS.

ORDINATIONES
PRÆPOSITORVM GENERALIVM
COMMVNES TOTI SOCIETATI.

Auctoritate V. Congregationis generalis recognitæ, & contractæ. Dec. 98.

R. P. N. Euerardi Mercuriani.

Quæ visa sunt obseruanda circa vsum librorum prohibitorum.

CAP. I.

1 CIRCA vsum librorum prohibitorum, seruabunt nostri in Hispaniarum Regnis degentes, quod præscribitur in indice Inquisitorum Hispaniæ, sicut & cætera, quæ ibi statuuntur.

Vsus librorum prohibitorum in Hispania.

Vſus obſcænorum. 2 Obſcænorum autem librorum quamuis in indice prohibiti non eſſent, quales ſunt Catulli, Tibulli, Propertij, plerique ab Ouidio conſcripti, Plauti, Terentij, Horatij, Martialis, Auſonij, vſus non permittatur, niſi maturis, quique eis ſine periculo ad ſtudia literarum humanarum promouenda vti poterunt. Quib⁹ permittendi. Nulla autem ratione ſcholaſticis noſtris, quocumque prætextu permittantur; ac ne alijs quidem etiam magiſtris, quorum puritati aliquid labis aſpergi poſſe dubitetur. Exceptis tamen huiuſmodi libris, qui vel iam expurgati eſſent, aut in poſterum expurgarentur. Virgilij vero Priapeia, aut alia eiuſmodi Epigrammata aboleantur prorſus. Impuri & amatorij nemini cócedantur. Reliqui vero libri quocumque idiomate conſcripti, ſiue carmine, ſiue ſoluta oratione, qui amatoria, & impura continent, nemini prorſus concedantur.

3 Ac cum etiam inter Scriptores librorũ Spiritualium, licet pij inueniantur, quidam tamen inſtituti noſtri rationi minus videantur congruere; propterea non paſſim permittantur, ac ſine delectu; quales ſunt Taulerius, Rusbochius, Henricus Harphius, Vſus quorundã ſpiritualium. Auctores Roſeti, Artis ſeruiendi Deo, Raymundus Lullus, Henricus Suſo, Gertrudis, & Mechtildis, alijq. huiuſmodi. Nihil vero Facultas Prouinciali reſeruata horum librorum vſpiam ſeruetur in Noſtris Collegijs, niſi ex Præpoſiti Prouincialis ſententia;

tentia; cuius erit decernere, quinam, & in quibus locis seruandi sint, quoíve ex his libris Rectores suis subditis legendos permittere debeant. Neque tamen permittent vsum eorum librorum, nisi pro eo tempore, quo necessarium iudicabunt. Qui autem libri aliquibus ex nostris permittentur, non habeantur in Bibliothecis, ac ne ijs quidem siue publicis locis, siue cubiculis, vbi ab alijs legi possint.

Publice nō exponātur

4 Denique Prouinciales suo tempore Præposito Generali significabunt, quinam libri prohibiti, in quocumque loco seruentur, quàmve facultatem Rectoribus concesserint.

De quibus Generalis monendus.

Quæ visa sunt obseruanda in libris Musicis.

CAP. II.

1 Cantus Ecclesiastici, qui nempe origine sua Ecclesiastici sunt, & sanctæ Sedis Apostolicæ, siue Episcoporum, & Inquisitorum permissu typis excusi, vel scripto solum euulgati, sed tamen a Superioribus approbati sunt, neque ab hæreticis prodierunt, poterunt aliquando cantari a nostris: quales sunt qui dicuntur Moteta, Missæ, Hymni, piæque aliæ id generis cantiones. Quæ turpem habent dictionem, & sonum, siue

Ecclesiastici & pij pmittuntur.

Vſus obſcænorum. 2 Obſcænorum autem librorum quamuis in indice prohibiti non eſſent, quales ſunt Catulli, Tibulli, Propertij, plerique ab Ouidio conſcripti, Plauti, Terentij, Horatij, Martialis, Auſonij, vſus non permittatur, niſi maturis, quique eis ſine periculo ad ſtudia literarum humanarum promouenda vti poterunt.

Quib⁹ permittendi. Nulla autem ratione ſcholaſticis noſtris, quocumque prætextu permittantur; ac ne alijs quidem etiam magiſtris, quorum puritati aliquid labis aſpergi poſſe dubitetur. Exceptis tamen huiuſmodi libris, qui vel iam expurgati eſſent, aut in poſterum expurgarentur. Virgilij vero Priapeia, aut alia eiuſmodi Epigrammata aboleantur prorſus.

Impuri & amatorij nemini cõcedantur. Reliqui vero libri quocumque idiomate conſcripti, ſiue carmine, ſiue ſoluta oratione, qui amatoria, & impura continent, nemini prorſus concedantur.

3 Ac cum etiam inter Scriptores librorũ Spiritualium, licet pij inueniantur, quidam tamen inſtituti noſtri rationi minus videantur congruere; propterea non paſſim permittantur, ac ſine delectu; quales ſunt Taulerius, Rusbochius, Henricus Harphius, Auctores Roſeti, Artis ſeruiendi Deo, Raymundus Lullus, Henricus Suſo, Gertrudis, & Mechtildis, alijq. huiuſmodi.

Vſus quorundã ſpiritualium.

Facultas Prouinciali reſeruata. Nihil vero horum librorum vſpiam ſeruetur in Noſtris Collegijs, niſi ex Præpoſiti Prouincialis ſententia;

tentia; cuius erit decernere, quinam, & in quibus locis ſeruandi ſint, quoſve ex his libris Rectores ſuis ſubditis legendos permittere debeant. Neque tamen permittent vſum eorum librorum, niſi pro eo tempore, quo neceſſarium iudicabunt. Qui autem libri aliquibus ex noſtris permittentur, non habeantur in Bibliothecis, ac ne ijs quidem ſiue publicis locis, ſiue cubiculis, vbi ab alijs legi poſſint.

Publice nō exponātur

4 Denique Prouinciales ſuo tempore Præpoſito Generali ſignificabunt, quinam libri prohibiti, in quocumque loco ſeruentur, quàmve facultatem Rectoribus conceſſerint.

De quibus Generalis monendus.

Quæ viſa ſunt obſeruanda in libris Muſicis.

CAP. II.

1 Cantus Eccleſiaſtici, qui nempe origine ſua Eccleſiaſtici ſunt, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſiue Epiſcoporum, & Inquiſitorum permiſſu typis excuſi, vel ſcripto ſolum euulgati, ſed tamen a Superioribus approbati ſunt, neque ab hæreticis prodierunt, poterunt aliquando cantari a noſtris: quales ſunt qui dicuntur Moteta, Miſſæ, Hymni, piæque aliæ id generis cantiones. Quæ turpem habent dictionem, & ſonum,

Eccleſiaſtici & pij p-mittuntur.

siue eum cantandi modum, cui etiam *subesse* obscæna, aut vana putentur, *comburantur*. Quæ dubia sunt, examinet diligenter *Superior*, atque ædificationis omnis ratio *habeatur*. Idem vero Superior neque emi, neque a quoquam omnino eiusmodi libros legi, aut haberi sinat, quos ipse diligenter prius non examinarit.

Obscæni & vani amandentur. Dubij examinentur.

Exponatur Bulla Cœnæ in singulis Collegijs Societatis.

CAP. III.

Bullæ Cœnæ expositio.

1 CVretur omnino, vt in singulis Collegijs, & Domibus cuiuslibet Prouinciæ sit expositum vnum saltem exemplar Bullæ, in Die Cœnæ Domini legi solitæ, in loco aliquo, vbi nostri omnes Confessarij illud commode legere possint.

R. P. N. Claudij Aquauiuæ.

Bulla declarationis Instituti Gregorij XIII. aliaq. ostendantur Nouitijs, & alijs.

CAP. IIII.

1 PRæter Bullam Iulij III. de qua fit mẽtio in regula 13. Magistri Nouitiorũ, Bulla etiam Pij V. contra Apostatas; Constitutio Gregorij XIIII. Gregorij item XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, erit ostendenda Nouitijs, tam in prima probatione, quàm sexto quoque mense, omissa parte illa, quæ agit de impugnatione Instituti, ab illis verbis circa medium Bullæ, *Quia tamen non defuit temeraria quorundam audacia*, &c. vsque ad illa, *Nos vniuersalis Ecclesiæ vtilitati*, &c. Nam ad hunc finem aliquot exemplaria sine ista parte, impressa sunt. Similiter qui vota simplicia, siue etiam solemnia edituri sunt in Societate, & qui ad tertium probationis annum accedunt, vt seruent regulas, & constitutiones, inter alia easdem Bullas legere debebunt.

Quæ Bullæ Nouitijs, et simplicia vota, ac solemnia edituris proponendæ sunt.

De examine conſcientiæ Sacerdotum, & aliorum præſertim diebus feſtis.

CAP. V.

Hora examinis nemo vagetur.

1 NVllus, etiam Sacerdos, vagetur extra cubiculum tempore examinis, niſi occupetur in templo. Sacerdos autem non occupati faciant etiam ipſi examen, niſi forte paulo ante tempus examinis celebrauerint, & ante celebrationem id fecerint: tunc enim poterunt ſuas horas recitare, vel aliter orare, idq. in cubiculo. Diebus vero feſtis, & Dominicis, vbi habetur concio, non habetur examen ante prandium ex præſcripto; & idcirco nec ad examen pulſatur: vbi vero non habetur concio, pulſetur ad examen, & fiat.

Quando examen eſt omittẽdũ.

Vota,

Vota, quæ emittunt qui denuo ad Societatem recipiuntur.

CAP. VI.

1 SCholaſtici approbati, aut coadiutores, abſoluto biennio, votiſque poſt illud emiſſis, ſi abſque licentia Societatem deſeruerint, poſt reditum data ſatisfactione, renouabunt Vota cum alijs; quia non ceſſauit eorum obligatio. Si cum licentia abierint abſoluti a Votis, poſt reditum non emittent Vota ante abſolutum biennium, ſicut & cæteri Nouitij, iuxta Decret. 23. Congregationis V. Quod tamen attinet ad probationes, poterit Prouincialis diſpenſare, prout in Domino videbitur, habita ratione perſonarum, ſatisfactionis, &c.

Qñ a Votis ſimplicib' abſoluuntur.

Prouincialis erit in experimētis diſpenſare.

Quæ suffragia facienda pro ijs, qui in itinere decedunt.

CAP. VII.

Quæ suffragia pro obeuntib⁹ in nauigatione Indica.

1 PRo ijs, qui eundo, vel redeundo ad Indos, siue Orientis, siue Occidentis, vita funguntur, fiant suffragia solita in ea prouincia, in qua moriuntur, non secus, ac si essent illius prouinciæ. Similiter fiant in ea Indiæ prouincia, ad quam vel tendebant, vel vnde in Europam veniebant.

Quæ pro extra prouincias in Europa morientibus.

2 Pro ijs, qui iter quomodocumque ingressi in Prouincijs Europæ, extra proprias prouincias moriuntur, fiant eadem omnino suffragia in ea Domo, vel Collegio, vbi quis moritur, quæ alioqui fierent, si defunctus non hospes, sed eiusdem Domus, vel Collegij habitator fuisset. Quod si quem extra Collegiū, aut Domum mori contigerit, eadem supradicta suffragia in propinquiore Domicilio fieri oportebit. Superior vero illius loci primo quoque tempore, & occasione Prouincialem eius prouinciæ, ad quam defunctus pertinebat, admonebit, vt pro eo solita suffragia fiant, tum in Collegio, vel Domo, ad quam pertinebat, prout Prouincialis iudicauerit, tum in tota prouincia, ac si in illa obijsset. Censendus vero erit defunctus ad eam prouinciam pertinere, in quam mittebatur.

Quæ pro extra Collegium morientibus.

No-

Nostri Romam venientes aliena negotia ne suscipiant.

CAP. VIII.

1 QVoniam accidit aliquando, vt nostri Romam venientes, vel caritate permoti, vel amicorum precibus victi, aliqua aliorum negotia procuranda secum perferrent; facile vidimus, neque id Instituto nostro valde conuenire; neque Summo Pontifici, eiusq. ministris valde probari, vt nos in alienas causas ingeramus, cum præsertim pro nostris satis quotidie habeamus, quod cum illis agamus. Idcirco monere volui R. V. vt ne permittat, vel Procuratorem, cum tempus erit, vel alios nostros, quibus Romã venire contigerit, huiusmodi res suscipere, vel in ijs operam suam polliceri. Idque faciendum erit R.V. vt in ista sua Prouincia intelligatur. Credimus enim hoc fore ad maiorem Dei gloriam, quam semper spectare debemus: ideoque rationem potius habere communis boni, quam particularis, quod fortasse nobis offeratur.

Aliena negotia ne suscipiant.

Sepulcra Principum in Ecclesiis Societatis nostræ quomodo permittenda.

CAP. IX.

Interdicitur vsus inscriptionũ &c.

1 NOn iudicamus expedire, vt permittantur in nostris Ecclesijs insculpi nomina, seu tituli Principum, eorumve sepulcra marmorea, stemmata, aut insignia; ne vel præiudicium aliquod generetur fundatoribus, qui iam sint, aut postea futuri sint: vel multiplicentur huiusmodi exempla, quæ secum afferre solent varia diuina officia pro defunctis: vnde nostra ministeria impediri, & Ecclesię magnificorum sepulcrorum constructione occupari possent.

Petẽte aliquo Principe monẽd° Generalis.

2 Si quis autem Principum aliquid simile petierit, cui Societas multum debeat, admoneatur Præpositus Generalis; vt consideratis circumstantijs loci, temporis, & personarum, decernat, quid concedi expediat. Ad aliquot autem dies tumulum ligneum, vel ad menses etiam pannum holosericum apponi super sepulcrum, Principibus concedi potest.

Nostri

Nostri ad suas patrias non mittantur sine licentia Præpositi Generalis, nisi in casu necessario, & vrgenti.

CAP. X.

1 EXperientia ipsa docuit, ex profectionibus nostrorum in patriam, quo varijs de causis, aut prætextibus ad propinquos, vel amicos se conferunt, non solum nihil iuuari eos in spiritu, exponique adeo varijs periculis; verum etiam labefactari non parum religiosam disciplinam, & euerti Societatis Institutum, cum ab illis multa interdum temporalia, & a nostris aliena negotia suscipiantur.

Incômoda ex nostrorum in patriâ excursionib'.

Ex quo quidem non parum etiam minuitur bonus odor, & nomen Societatis, ac maiora cum tempore reformidari possent incommoda. Hanc ob causam, & si alias quibusdam Prouincialibus significatum erat, vt parci essent in huiusmodi facultatibus, nec nisi iustis de causis, & legitimis eas concederent; quia tamen propter quorundam importunitatem, & verisimiles prætextus, qui subinde obtenduntur, secuta est nonnulla relaxatio, eoq. res producta, vt efficaci opus sit remedio: Visum est in Domino esse officij nostri, R. V. maiorem in modum id commendare, ne harum profectionum

num

num facultatem vllo modo concedat abſque cauſa vrgente, & manifeſte legitima, quæque moram non patiatur; neque eam cuiquam det vlla ratione, quin ante nos admoneat, aut certe ſi neceſſitas vrgeret, poſtea ſaltem ad nos referat, ſignificetque quantum ad tempus eam conceſſerit: quod quidem tempus breue ſemper eſſe debebit, & addito ſocio, qui futurus ſit ædificationi.

Non niſi in caſu vrgēti, & de Generalis licentia.

2 Ac ne quis fortaſſe prætendat, ſibi a præteritis Prouincialibus datam fuiſſe facultatem, quamuis ea ſcripto extaret, ſciat R. V. ſibi nullam rationem habendam talium facultatum; ſed ſingulorum cauſas, & rationes ex præſenti rerum ſtatu æſtimandas eſſe: ſimul adnitendo, vt debita cum reſignatione ſubditorum id fiat. quandoquidem S. me. P. N. Ignatius eam in illis adeo perfectam requirebat, vt in tertia Conſtitut. part. ſcriptum reliquerit, ne quiſquam etiam prætextu infirmitatis mutationem loci procuret, neve ad illam propenſum ſe oſtendat.

Quæuis facultas reuocatur.

De

De Vsu Compendij priuilegiorum Societatis.

CAP. XI.

1 CVm superioribus diebus mandato nostro excusum esset Compendium priuilegiorum nostrorum, ad eius calcem addi iussimus admonitionem, ne cum externis sine Superiorum facultate communicetur, & vt Superiores in ea facultate concedenda magnam cautionem, & circumspectionem adhiberent. & quoniam apparet, incommoda non leuia ex eius diuulgatione consequi posse, tum ob alias causas, tum præcipue, quoniam si alij Religiosi ordines, qui nostrorum priuilegiorum participes facti sunt, ijs vti voluerint, cum non eam limitationem, & moderationem seruaturi sint, quæ nostris præscripta est, facile in tanto numero fieri posset, vt ex illorum immoderato, & minus circumspecto vsu apud Prælatos, & ipsum quoque Pontificem odiosa redderentur, atque ita in periculum etiam nostra adducerentur: propterea necessarium iudicauimus hoc statuere.

Priuilegiorum Compendiū ne cum externis communicetur.

2 Primum ne libellus iste vspiam rursus typis sine permissu nostro edatur. Deinde vt exemplaria, quæ singulis Domibus & Collegijs distribui curauimus, vt Superiorum, & Con-

Nullibi imprimatur.

Consultorum vsui præcipue inseruiant; in suis quæque Domibus, & Collegijs semper retineantur, nec inde ad alia loca asportentur. Poterunt tamen cum facultate Prouincialis commodato nostris ad ea perlegenda concedi; sic tamen, vt diligenter prius admoneantur, ne ea circumferantur, neve ostēdantur, & multo magis, ne dentur externis. Quod idem intelligendum est de breuiori excuso, quod commune est, & in omnium nostrorum manibus versatur.

Exéplaria e Domibus aut Collegijs ne asportentur.

De exacta obseruatione regularum, & speciatim regulæ 18. Sacerdotum.

CAP. XII.

Necessitas & vtilitas reg. 18. Sacerdotum.

1 MAnauit sensim abusus in quosdam e nostris, qui libertatem amant, vt diffidentiam, aut suspicionem varijs modis appellent curam illam, ac vigilantiam, quam Superiores adhibent in exigenda regularum obseruatione, procurantes hac ratione se ipsos eximere a disciplina, quæ tamen neruus est, custosque Religionum. Et quia verendum est, iuxta humanam conditionem, ne hic morbus successu temporis, & Superiorum indulgentia magis inualescat, necessario monendam duxi R. V. vt omne studium,

dium, ac diligentia conferatur ad perfectam regularum, & constitutionum nostrarum obseruationem. Cumque inter illas vna sit, quæ ad ædificationem proximi, omnemq. in partem pręcipuum habet momentum, ac maius fortasse, quam prima fronte videri cuipiam possit; eius mentionem faciam nominatim. eaque est inter regulas Sacerdotum num. 18. vt socium sibi assignatum prope se semper habeant. Quam quidem cupio intelligant nostri omnes, sibi quam accuratissime seruandam esse; Superioresque, nullo modo eius curam negligi opertere: eos autem, qui secus facient, præsertim admoniti, non solum contra regulam, ordinationemque nostram facturos; sed iustam preterea suspicionem daturos, quod sincere non procedant, minusque, quam debent, soliciti sint de ædificatione, & bona fama Societatis. Vt ergo diserte moneantur nostri, curabit R. V. vt Rectores locorum quamprimum id faciant, incũbantq. in executionem.

Assignatũ sibi socium prope se habeant.

Superioribus inuigilandum.

Mit-

Mittenda in Vrbem pro Archiuio historia Collegiorum, & Vota in forma papyri præscripta.

CAP. XIII.

Historia de origine Collegij &c. qualis in Vrbem mittenda.

1 IN scriptis alicuius momēti, quæ in Archiuio Romano Societatis conseruari debent, primo fere loco numeranda erit historia, seu succincta narratio de origine, & fundatione cuiusque Collegij, & Domus Societatis; qua breuiter explicetur, quo tempore, qua occasione, quibus modis Collegiū illud, aut Domus exordium sumpserit; quos item redditus, ac bona ab initio; ac quæ deinde incrementa, aut adiumenta, quibusve ab hominibus ad hodiernum vsque diem acceperint, ac retinuerint. In eadē narratione dicendum erit, quot, & quas lectiones vnusquisque locus habeat; earumque quas ex obligatione, quasque ex libera voluntate sustineat: quæ præterea onera, & obligationes, quem personarum numerum teneat, vel tenere possit, cæteraque eiusmodi. Quæ quidem etsi Visitatores aliquot præteritis temporibus fieri, & in Vrbem mitti curauerunt; quia tamen ex pluribus Prouincijs hoc factum non est, nec ab ijs, qui hoc præstiterunt, ea qua conueniebat forma, præstitum

fuit;

fuit; vt ex omnibus liber vnus conficiatur, necesse erit hũc laborem serio, ac ex instituto suscipere eo ordine, quo explicauimus, ac nũc etiam dicemus: nimirum, vt narrationes iam dictæ perscribantur in papyro eiusdem plane magnitudinis cum Romana, nuper missa cum instructione; aut si forte maior fuerit, ad hanc eandem formam redigatur: margines item habeat æquales his nostris, vt eo facilius, quæ istinc mittentur separata, in vnum corpus hic compingantur. Hæc autem omnia cum erunt rite confecta, transmitti ad nos poterunt occasione aliqua, vel nostrorum hominum, vel externorum etiam amicorum, quorum erit perspecta, ac probata fides, huc in Vrbem proficiscentium, vel certe Procuratorum, qui ex prouincijs ad proximam futuram Congregationem venient.

Ei⁹ forma.

Qñ, & qũo mittenda.

2 Illud etiam curari debet, vt exemplar, seu transcriptum huius summariæ narrationis ad nos transmittendæ seruetur vbique integrum in Collegijs, ac registris; vt, si quando deinceps necesse erit informationes alias de futuris incrementis eorundem locorum, reddituum, censuum, aut onerum petere, id fieri possit ad hanc ipsam papyri formam, & incipiendo a fine præcedentium informationum datarum.

Exemplar vbique seruandum.

3 In eadem etiam papyri forma conue-

Profeſſiões & vota Coadiutorum formatorū in eadem forma.

niet vota ſolemnia Profeſſorum, *eorumque* ſimplicia, Coadiutorum item formatorum, quæ in poſterum emittentur, Romam mittere, vt ſuo in libro commode cohæreant, & non dimidiatis in folijs, aut forma quarti, vt ſubinde multi ſolent: quoniam ea diſparitas connexionem impedit, ordinemq. perturbat.

De actis Congreg. Prouin. Romam mittendis.

4 Id ipſum in actis Congregationis Prouincialis ſeruandum anno 1600. præſcripſimus, vt meminerint ea Romam, vt mos eſt, in folio deſcripta mittere, non autem in breuiori forma. Cum enim in librum vnum cõpingi ſimul omnia oporteat, ægre id fieri poteſt, niſi ab omnibus in eadem papyri forma mittantur.

Hora conſiderationis Superioribus præſcribitur.

CAP. XIV.

Neceſſitas & vtilitas horæ cõſiderationis.

1 QVod 9. p. Conſt. c. 6. §. 13. docuit P. N. tempus omne, quod valetudo, & vires corporis permittent, Superioribus partim cum Deo, partim cum officialibus, & miniſtris, partim ſecum ſeorſum conſiderando, & ſtatuendo, eſſe impendendum; tanti momenti eſt, vt ex huius Conſtitutio-

tutionis neglectu plurima incommoda sequi, & ratio manifesta demonstret, & experientia non obscure conuincat. Nam cum Rectoris officium sit, vt habetur part.4. cap.10. §.5. oratione, & sanctis desiderijs totum Collegium, velut humeris sustinere; deinde curare, vt Constitutiones seruentur, Collegialibus cum omni solicitudine inuigilare, eosdemq. ab ijs, quæ nocere possint, defendere; vt omnes in virtutibus, ac literis proficiant, curare (quæ verba in illius officij reg. 21. & Præpos. 22. translata sunt) liquet, eum, qui hæc non omni solicitudine præstet, quæ sui officij sunt, præstare non posse. Quæ cum animo volueremus, & intelligeremus sine dubio fore, vt non modo quotidianæ admonitiones, & literæ, quibus Superiorum animos ad pastoralem vigilantiam excitare conemur, sed ipsæ etiam regulæ sine fructu editæ sint, & commendatæ, nisi re ipsa, quæ ordinata sunt, executioni mandentur, ac perpetua quadam industria moribus potius nostrorum expressa, quam literis consignata cernãtur: Visum est nobis in Domino, re diligenter illius Maiestati commendata, in eam curam omni studio incumbere, vt ea constitutio, ac regula exacte seruetur, & id Superiores opere ipso præstent, quod præstare tenentur.

Hora cõsiderationis iniungitur.

2 Et quamuis constitutio satis indicet,

quantum in ea re temporis impendendum sit, totum scilicet, quod valetudo, & vires corporis permittant; tamen quo melius, & certius præcipuæ huius operis parti, id est orationi, considerationi, & deliberationi aliquid temporis tribuatur, videtur maximæ futurum vtilitatis, si quotidie, aut certe alternis diebus, integram horam sibi præscribant, in qua secum, & cum Deo considerent, & statuant, quæ ad rectam Domus, vel Collegij administrationem spectant: eo tempore in conspectu Dei considerent, quomodo se habeat status Domus, vel Collegij; quomodo subditi in spiritu, & virtutibus proficiant; quid impedimenti, quid distractionis habeant; quo spirituali morbo ille, vel ille laboret, quo remedio iuuari possit, vt adhibeatur; quomodo Præfectus rerum spiritualium, quomodo cæteri officiales suum officium exequantur; quomodo regulæ, Generalium ordinationes, & religiosa disciplina seruentur; quis erga proximos per nostra ministeria fructus colligatur. Denique præter examen, quo proprios defectus personales proprie solent examinare, examinent hoc tempore impensius defectus circa gubernationem, legant regulas, Visitatorum, & Superiorum iussa. Caueant tamen, ne hanc lectionem perfunctorie, & quasi cursim præteruolent; sed accurate, & meditato plura stu-

Tempus p̄scribitur.

Materia cō sideratiōis.

ſtudioſe conſiderent, & deliberent, quam legant. Denique diſquirant, quam diligentiſſime, quomodo omnia ad noſtrarum regularum præſcriptum, mentem Conſtitutionum, & maiorem Dei gloriam componantur.

3 Hoc autem ita cupimus obſeruari, tanquam eam Conſtitutionem; ex qua vere cæteræ pendent omnes, vt etiam in virtute ſanctæ obedientiæ id præcipiendum putaremus, niſi & obedientia ipſa Superiorum, & amor in Societatem, quam hoc ſtudio maxime iuuandam, ornandamq. confidimus, tam vehemens calcar excluderet. Cæterum intelligant Superiores hoc præcepto ſemoto, quacumque poſſumus efficacia, maiori quo valemus affectu, id nos ab illis, per viſcera miſericordiæ Chriſti, per caritatem, qua Societatem, atque animas ſuas, & fratrum ſuorum diligunt, ardentiſſime flagitare. Neque vero mirum, aut graue cuipiam videri debet, ſi conſtitutionem hanc in praxim deduci curamus, cum præſertim, non quæuis conſtitutio, vel regula vrgeatur, ſed ea, quæ paſtorali curæ ita connexa eſt, vt prætermitti ſine eiuſdem curæ omiſſione non poſſit. Nam & paſtoribus nihil graue, aut inſolens præſcribit, qui ab illis exigit, vt cuſtodiant ſuper gregem vigiliam noctis. Cæte-

Seueriſſime præcipitur.

rum, & res facilis erit, & suauis, *si Superiores* certam sibi hanc horam *statuant*, quam a visitationibus non necessarijs, negotijs externorum, colloquijs longioribus, cura rerum temporalium, lectione librorum, & alijs huiusmodi occupationibus, nullo negotio, sed magna vtilitate, ac simul etiam iucunditate, poterunt suffurari.

Consultores moneāt Prouincialem.

4 Præterea etiam commendamus R. V. vt cum singula Collegia visitat, eorum Consultoribus iniungat, scribant ad se, quomodo executioni mandentur ea, quæ ordinauerit, præsertim circa spiritualem nostrorum profectum. Quam etiam ob causam expediet omnino, vt R. V. ipsis etiam relinquat exemplum illarum ordinationum, vt eas norint.

Mo-

Monita ad Prouinciales ex consultatis.

CAP. XV.

ET si incommoda, quæ Societas patitur, probe intelligamus non inde prouenire, quod non plurima optime, atque vtiliter admodum sancita sint, sed quod ea minus exacte seruentur: tamen dum omnia, Deo iuuante, cum PP. Assistentibus inquirimus, quæ bonum illius statum promouere possunt; nonnulla visa sunt præscribenda, quæ ad eorum obseruantiam, quæ ordinata sunt, & ad communem consolationem plurimum speramus habitura momenti.

Quæ executioni profutura sint.

1 Occurrebat in primis, quoniam ad remouendam laxitatem spiritus, & deuotionis, (quod malum in Societate grauissimum esset) & ad alia simul incommoda remouenda, multæ ordinationes sunt editæ, multæque litteræ tum a nobis, tum a nostris prædecessoribus conscriptæ, quæ fere omnia multi locales Superiores, ac Consultores ignorant (vnde illa videntur magis in Archiuio recondita, quam in praxim redacta) operæ pretium esse ac necessarium, vt non solum Prouinciales moneremus (quod & fecimus) vt ordinationes nostras editas hactenus, & quæ in futurum edentur, suis

Ordinationes Gener. Consultoribus, & Superioribus cōicandæ.

Quater in anno ad Generalē scribendum.

Consultoribus, ac localibus *Superioribus* cōmunicent, & hi communiter suis: *sed ipsis* etiam prouincialium Consultoribus *iniungeremus*, vt & nunc omnibus æque Prouincialium, ac localium Superiorum Consultoribus iniungimus (quod R. V. illis indicare, & hunc ipsum ordinem debebit) vt ad nos quater in anno, tertio scilicet quoque mense scribant, an huiusmodi Ordinationes communicentur, & quænam fuerint, tam ipsis, quàm Superioribus localibus communicatæ; quomodo item obseruentur: nominatim vero regulæ de accipienda ratione conscientiæ, de alloquendis frequenter fratribus circa eorum spiritualem profectum, valetudinem, an re aliqua indigeant, &c.

A Præfecto rerū spūalium rō exigenda &c.

2 Circa quod cupimus præterea, vt R. V. Superiores eosdem moneat, vt a Præfecto rerum spiritualium rationem frequenter exigant, quomodo, & quam frequenter iuxta suas regulas Patres, & fratres alloquatur, quorum in spiritualibus curam gerit; & hoc ipsum ab illis eisdem inquirat, quorum iuuandorum cura ipsi Præfecto demandata est.

Exercitia spūalia fiāt a designatis in Superiores.

3 Proderit etiam ad spiritus laxitatem arcendam, si Visitatores, & Prouinciales curent suauiter, sed efficaciter, vt qui in Superiores eliguntur, ij antequam Superioris officium adeant, sese ad dies aliquot recolligant,

gant, vt ſpiritualibus exercitiis vacent, & maiori cum ſpiritus alacritate officium ſuum aggrediantur, ſeq. ipſos reddant aptiora inſtrumenta, quæ a Chriſto moueantur.

Lectio ſpiritualis &c.

4 Superiores, & rerum ſpiritualium Præfecti ſedulam dent operam, vt lectio ſpiritualis vigeat, de qua communis regula meminit; & non ſolum iunioribus, & ijs, qui magis indigent, diem, tempus, & libellos huiuſmodi præſcribant; ſed etiam operarios ipſos vrgeant, vt ſtatis diebus piæ lectioni vacent. Cuius rei promouendæ cauſa, curabitur, vt tractatus aliquis ſpiritualis ex propria vocationis noſtræ gratia conficiatur.

Conſultores ne ſint ordinarij Cõfeſſarij.

Nec Superiores.

Cõfeſſariorũ cautela.

5 Vt profectus noſtrorum in ſpiritu facilius in dies incrementum, Chriſto propitio, ſumat, ipſiq. confidentius ad ſuum Confeſſarium accedant, curandum erit, ne, quantum fieri poſſit, Confeſſarii noſtrorum ſint ordinarii Conſultores. quòd ſi id aliquando, præcipue in paruis Collegiis, vitari non poſſit, tũ moneantur Superiores, ne dum de perſonis agitur, eos quicquam interrogent. Nec Superiores ipſi quempiam e noſtris cogant, vt ſibi confiteatur, ſalua tamen regula de Conſcientiæ ratione reddenda. Moneantur etiam Sacerdotes omnes in conferentiis, ne in recreatione, vel alibi, de iis loquantur, quæ in confeſſione, vel audierint, vel egerint.

6 Si-

Iuniores nisi post biennium occupentur cum proximis.

6 Similiter curandum erit, ne qui iuuenes adhuc cum sint, sacris initiantur, ii ad duos saltem annos post sacerdotalem ordinē susceptum, vt ordinarij operarij in ministerijs cum proximis occupentur: quamuis non propterea interdicitur, quin & ad probationem, & ex aliqua peculiari causa, possint ad tempus in his occupari.

Norma nostris pſcripta de scribēdis literis.

7 Magnam esse intelleximus Superiorū quorundam incuriam, & conniuentiam in subditorum literis vltro, citroq. datis, & acceptis legendis, aperiendisque: vnde, & vsus increbuit maximus inutilium, si nihil aliud, epistolarum, & alia eiusmodi incommoda. Proinde, quoniam magnopere verendum est, ne, quod semel ad vnionem & fraternam caritatem tuendam institutum est, ipsa die sensim vertatur in contrarium: visum est nobis in Domino huic incommodo opportunum, & efficax remedium adhibere. atque vt ad singula descendamus, Reuerentiæ Vestræ serio iniungimus, vt ad amussim ea quæ sequuntur, seruanda curet diligenter.

Ordinationes alias pscriptæ de literis scribendis seruentur.

8 Primum, quæ regulæ, quæque ordinationes antehac diuersis temporibus, ad rationem scribendi literas pertinentes, nostris præscriptæ sunt, seruentur: præcipue regula illa, Ne quis omnino literas scribat, nisi ante a Superiore petita facultate, & vt literæ ad Superiorem, aut ad eum, quem penes erit

cura

cura illas perlegendi, mature deferantur; vt antequam obſignentur, commode perlegi ac recognoſci poſſint.

Materia literarum.

9 Superiores, cum ab iis ſcribendi petitur facultas, quærent, quæ cauſa ſcribendi ſit: ac ſi de negotiis erunt, de quibus ſcribendum iudicetur, dent veniam: videant tamen diligenter, ne de negotiis ſæcularibus, aut inutilibus, aut ab eo qui ſcribit, alienis, literæ quidquam contineant. Si nulla ſint negotia, ſed officij tantum cauſa ſcribantur, id genus literarum non paſſim cuique permittatur, niſi ea, quę infra continetur, limitatione. Illud etiam videatur, ne in literis, quæ de negotiis ſcribuntur, quædam parum opportuna & aliena adſcribantur, cuiuſmodi ſunt rumuſculi, ac nuncij de rebus a viro religioſo alienis, & id genus alia, quæ ferme parum decent.

quod nā genus literarū permittendum & quando.

10 Ad caritatis communicationem, quæ inter nos alenda eſt, facere poteſtatem poterunt Superiores, vt non paſſim omnes, ſed quos ipſi expedire iudicauerint, ſcribant interdum binas, ternaſve annis ſingulis literas; ita tamen vt de rebus ad ædificationem pertinentibus ſint, & idoneis ad religioſam inter nos beneuolentiam, caritatemq. conſeruandam; idque præcipue ad eos qui in India, Iaponiis, aliisq. tranſmarinis regionibus verſantur: quod magnum in Domino ij fructum capiant ex iis, quas ad ipſos noſtri, qui ſunt in Eu-

Europa, ſcribunt literas.

Subinde a Rectoribus ipſis legẽdę.

11 Dent operam diligenter Superiores, vt quæ dantur, redduntur q. ipſi per ſe literas perlegant. & quamquam in regulis Rectoris, & Præpoſiti permittitur alium quempiam ad id munus deſtinari, tamen nunquam res ad iuſtam libellam redigentur, niſi Præpoſiti ipſi & Rectores ſaltem ad tempus aliquod hoc munus legendi, quæ a ſuis ſubditis dantur, & perferuntur literæ, ſubinde ſuſcipiant; id quod alias eſt præſcriptum. Neque vero hic labor in re tanti momenti grauis videri debeat; cum præſertim, ſi quæ præſcripta ſunt ſeruentur, non magnus ſit futurus literarum numerus, quæ ſcribantur. ita facili negotio poterit huic operi Superior ipſe ſatis eſſe.

Quæ non permittendæ.

12 At ſi contingat aliquando, vt aliquis ea ſcribat, quę non oportet; Superiores ea qua par eſt, in iis monendis vtantur libertate neque eius generis literæ vllo modo tranſmittantur.

Quæ in literis vitanda.

13 Adhibeatur etiam illa diligentia, ne formæ quædam ſcribendi, & figuræ, locutioneſque, ſæcularem & aulicam conſuetudinẽ olentes, in ſcribendis literis inter noſtros inducantur; neve inania officia & fucatæ aſſentatiunculæ adhibeantur: ſed ita ſcribatur, vt non res ſolum, ſed ipſe etiam ſcribendi modus ædificationi ſit legenti: ſic enim feciſſe vide-

videmus sanctos viros.

14 Sed & deterior quidam alius abusus apud nonnullos Consultores, & alios Subditos irrepsit, qui facilitate forsan, aut simplicitate quadam ducti, immediatis Superioribus, aut etiam Prouincialibus literas, quas ad mediatos Superiores scribunt, vel etiam ab eis accipiunt, lengendas tradere solent. ex quo non parum detrimenti pati posset Societatis gubernatio. Manifestum enim est, non expedire, vt omnia, quæ ad Generalem, vel Prouincialem scribuntur, nouerit Superior immediatus, præterquam quod ob receptum morem ei ostēdendi litteras, desinet interdum subditus ea scribere, quæ maxime deberet, ne scilicet immediatus intelligat id à se proficisci. Alij vero conquesti sunt, quod ipsis inscijs literæ ab ipsis ad Superiores mediatos, vel ab ijs ad ipsos datæ, ab immediatis vel aperiantur, vel supprimantur. quod etsi omnino persuadere nobis non possumus, obuiandum tamen censuimus, non solum veris damnis, sed etiam opinioni, quæ nocere possit. His igitur incommodis vitandis adhibere remedium cupientes, iudicauimus in Domino, valde serio præscribēdum, ne vllus Superior sui subditi literas ad vtriusque Superiorem, vel ab huiusmodi Superiore ad subditum scriptas, quoquomodo, etiam ad hoc sponte oblatas legat, aut quid contineant

Interdicitur Superioribus ne subditorū literas ad mediatos Superiores legant, & e contra.

neant inquirat, vel penes se retineat, aut supprimat; sed potius, si quis subditorum eas sibi legendas offerat, ipsum instruat, nec sibi licere eas ostendere, nec Superiori legere; quod ita a nobis sit prohibitum, propter impedimentum, quod Societatis gubernationi inde facile obuenire posset. Quod si literæ ipsæ aliquid contineant, quod immediatum Superiorem scire oporteat; si huiusmodi literæ sint, in quibus aliquid aliud habetur, quod eum scire non oporteat; id verbo, & non ex ipsis literis significandum erit. Quod vt exacte seruetur, Prouincialis, dum Prouinciam visitat, Superiores locales interroget an id obseruent: similiter & Visitator ipsos Prouinciales.

Prouinciales in visitatione disquirant.

15 In eleemosynis petendis modum tenere oportet, ne nimij, aut importuni simus; alioquin fideles a nobis, & a ministerijs nostris aueſtũtur: vnde fructus spiritualis perit, immo & temporalis. nominatim vero, ne permittatur Confessarijs eleemosynas petere, vel accipere.

Modus in eleemosynis petẽdis

16 In nonnullis Prouincijs, vbi Domus Probationis construi cœperunt, intelleximus in his consulto ædificari aulam, in qua Nouitij interdiu maneant, seque exerceant, non autem in cubiculis, quibus noctu tantum, dum cubitum concedunt, vtendum putant: idque propterea fieri, quod in Vrbe

Nouitij in cubiculis quaterni sint.

ita

ita Nouitios habitare putent. Quod & si verum hactenus fuit ob penuriam cubiculorũ, intelligant tamen, nunc aliter fieri: atque ita debere Nouitios manere in cubiculis ternos, vel quaternos; admixtos antiquiores cum recentioribus. id enim Constitutionibus Societatis, ac regulis magis consonum est. Quare aduertendum erit, vt dum huiusmodi Domus ædificatur, & si aula non sit omittenda pro communibus conuentibus, ac exercitijs; cubicula tamen vt plurimum esse ædificanda, quæ quaternos capiant, vt in illis etiam interdiu habitent, seq. exerceant.

17 Opus etiam erit, vt R. V. Præpositos, & Rectores moneat, ne, ipsa inconsulta, quippiam ædificetur. R. autem V. nulla permittat ædificia construi, nisi quæ necessaria erunt. Si vero agatur de his, quæ sunt maioris momenti futura, regulam sui officij 75. seruabit.

Nullũ ædificium inconsulto Prouĩciali.

Ex hac Epistola, quæ plura capita complectebatur, hæc solum hic retinenda duximus: quod reliqua in varias postea formulas, vel instructiones relata sunt, vbi proprius erat eorum locus.

Bo-

Bonorum distributio, quando, & quomodo facienda.

CAP. XVI.

Instructio de bonorũ distributione.

1 QVoniam multum refert, non solum communi fidelium ædificationi, sed etiam nostrorum merito, ac perfectioni, vt distributiones bonorum ad nostros pertinentium, cum ædificatione fiant iuxta Societatis Constitutiones, quæ Euangelij normam hac in re sequuntur; operæ pretium visum est, vt quæ nonnullis Prouincijs, instructionis gratia diuersis temporibus scripseramus, ea nunc omnibus communicaremus; ne in re tanti momenti error aliquis, aut negligentia committatur a nostris, vnde quis merito offendi possit, aut quoquomodo minui bonus odor Societatis.

Hic nõ agitur de fructibus aut cẽsu ipsorum bonorum, de his enim poterit dispẽsare Prouincialis.

2 In primis Constitutionum praxis, circa huiusmodi distributiones, fuit propterea Generali Præposito per Can. 1. III. Congreg. reseruata, quod cum difficilior reddatur eius, qui se bonis spoliauit, dimissio; non conuenit id decerni sine Generalis approbatione. Deinde vero ne aliquando contingeret, vt præsens necessitas Prouinciales cogeret, vt vel amplius in re hac progrederentur, quàm ædificationi conueniret; vel curarent, vt bona

bona eiusmodi Societati potius, quàm alijs pauperibus, pijsve operibus distribuerentur: quorum vtrumuis cum Constitutiones integrum nostrorum deuotioni permittant, si qui cum facultate Præpositi Generalis bonis se abdicare permittuntur, alijs potius, quam Societati donare volunt; nec dissuaderi, nec retrahi debent: nec est opus, vt Præpositi Generalis assensum ad id requirant.

Incōsulto Gñali nulla fiat.

Aedificationi cōsulendum.

3 Cum igitur Rector aliquis cupit suo Collegio aliquid huiusmodi applicari, Prouincialem informet: hic vero ad Generalem scribet, primum de valore bonorum ipsorum, de illius Collegij necessitate, & an alia sint Collegia, quæ inopia maiori, ac necessitate vrgentiori laborent. denique an qui distributurus est bona sua, sit & in vocatione constans, & in virtute prouectus. Tum, quænam eius sit intentio, ac voluntas circa distributionem eandem, Societati, aut huic, vel illi Societatis loco magis, quam alijs pauperibus, vel contra, his potius, quam Societati faciendam.

De quibus Gñalis ante distributionem docendus.

4 Nulla cuiusuis nostrorum legitima patrimonij pars exigatur, aut applicetur, vel ea de re agatur, antequam biennium probationis exegerit, votaq. emiserit. Si tamen viri alicuius maturioris ætatis bona, vel a nullo

Ante biennium non fiat distributio.

 depen-

dependeant, vel exigi, aut recuperari, ſine vlla offenſione, aut difficultate poſſint: informandus ea de re a Prouinciali erit Præpoſitus Generalis, vt videat, an expediat in tali caſu diſpenſare, ne ſcilicet opus ſit biennium expectare.

Circumſtãtię ſeruandæ.

5 Denique in bonorum huiuſmodi exactionibus, & conuentionibus cum conſanguineis ineundis, primum omnium ab vnoquoque requiratur, an conſanguineos pauperes habeat; deinde pacis erga omnes, & ædificationis ratio maxima habeatur potius, quàm vllius rei temporalis, quantacumque ſit. Quòd quidem vt ita fiat, Prouincialis ipſe per ſe hæc, quantum fieri poterit, tractare debebit, & nunquam, vel certe raro per Rectorem: multo minus per Procuratorem, cuius Collegio applicatio exiſtimatur facienda, vel petitur, vt fiat.

Tempus diſtributionis.

6 Quod vero ad tempus attinet, quo bonorum diſtributio à noſtris ſit facienda, re diligenter cum Patribus Aſſiſtentibus diſcuſſa, hoc in Domino ſtatuendum exiſtimauimus, vt ſcilicet, poſtquam quis in Societate quatuor integros annos vixit, dummodo ad annum vigeſimum peruenerit, vbi ea ætate per patrias leges id facere licet (alioqui expectetur, donec ad legitimam ætatem perueniat) ſi in vocatione firmus, & ſtabilis

iudicetur, de rebus suis omnino disponat. Licet enim nostræ Constitutiones ad aliquod tempus nostros rerum suarum dominium iustas ob causas retinere permittant; non tamen propterea permittendum est, vt ideo nostri bonorum suorum dominium per multos annos retineant; cum & ipsarum Constitutionum menti magis congruum sit, & omnimodæ paupertatis perfectioni magis conueniat, vt nostri a temporalium rerum dominio, & cogitatione (nisi iustæ dilationis causæ intercedant) quantocius expediantur.

Quæ nam rei quantitas sufficiat ad violandum votum paupertatis.

CAP. XVII.

1 ET, si de hac re sæpius interrogati, responsum studio distulimus, quod in causa paupertatis, quam nobis adeo commēdasset piæ mem. P. N. Ignatius, sat fore statuebamus, si eandem & ipsi, quod sæpe sane fecimus, serio, ac sedulo commendaremus: tamen animaduertentes pergi nihilominus in eadem petitione, simulq. admoniti laxari admodum inter nostros in tanti momenti re disciplinam, curauimus de ea inter nostros Doctores diligenter inquiri, ac disceptari. Omnium vero sententia hæc fuit, eam quantitatem, quæ furto sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra septimū præceptum, eandem sufficere, vt peccasse iudicetur aduersus votum paupertatis, si quis e nostris eam, vt propriam, vel vsurpet, vel alienet, sine Superioris facultate. Quam opinionem volumus, vt nostri sequantur, præscribimusq. P. Prouinciali, vt eam nostris omnibus patefaciat, quo huius voti exacta perfectio, quam studiosissime obseruetur.

Quantitas furti est cō tra votum paupertatis:

Con-

Consultorum suorum opera qua ratione commode Prouincialis vtetur: & Consultores subinde mutandos esse.

CAP. XVIII.

1 QVoniam iudicauimus curandum nobis esse, vt quantum fieri possit, iuxta regulæ huius præscriptum, Consultores Prouincialis habitent in eodem loco, vbi ipse frequentius residet; idcirco Prouinciales curent, vt id ita fiat. Quod si aliquos propterea Consultoris officio deputari, aliosque eodem defungi oporteat, ea de re nos moneant; simulque, qui substitui possint, proponant.

Consultorum Prouinc. commoratio.

2 Vt quemadmodum Superiores mutari debent, sic etiam & Consultores mutentur; tum vt plures instruantur, & ad gubernationem idonei fiant; tum etiam ne per longissimi temporis spatium ijdem sint semper Consultores, quod habet eadem fere incōuenientia, quæ diuturnitas Superioritatis in eodem loco solet afferre.

Consultores subīde mutandi.

3 Vt Consultorum opera commode vtatur Prouincialis, dum prouinciam lustrat, res vniuersales, & quæ non vrgent, notet, vt suo tempore cum Consultoribus de his agat. Verbi gratia, de promouendis capiat informationes pro singulis Collegijs; vt deinde suo lo-

De quibus consulēdi Consultores Prouincialis.

co, & tempore consulat. *Similiter de idoneis* ad gubernandum; de his, qui *scholis erunt* præficiendi; de promouendis ad *ordines;* de admittendis, &c.

Quæ cum Consultoribus Collegiorum cõicabit.

4 Particularia Domus, vel Collegij, in quo contigerit eum versari, cum illius Rectore, & Consultoribus communicabit. si autem res sunt alterius Collegij, moneat omnes Rectores, vt antequam res alicuius momenti ad ipsum scribant, suos Consultores consulant, & quid sentiant moneant, vt maiori cum luce ipse decernere possit.

Sacerdotes emittentes Vota Scholasticorum non communicant, sed eo die celebrant.

CAP. XIX.

Qñ Sacerdotes non cõicant.

1 PRaxis a tempore B.P.N. Ignatij habere videtur, vt celebrent Sacerdotes, quo die Vota Scholasticorum, elapso biennio, emittunt; quæ propterea Constitutionis ipsius est interpretatio: eam nimirum, quoad communionem, intelligendam esse de his Nouitijs, qui Sacerdotes non sunt.

Ha-

Habeatur liber susceptorum ordinum, is inter libros Prouincialis septimo loco numeratur.

CAP. XX.

1 IN qualibet Prouincia constet in libro aliquo de Ordinibus sacris susceptis a nostris, vbi, quo die, a quo Episcopo, & ad quos ordines, quis sit promotus.

Liber susceptorum ordinum.

Eleemosynæ, a quibus Collegijs, & quando admitti possint.

CAP. XXI.

1 COllegia, quæ possunt alere duodecim Scholares, iuxta Constitutiones non possunt, nec debent admittere vllas eleemosynas alicuius momenti; hoc est nisi sint res parui pretii, raro, & a personis non vulgaribus oblatæ, quarum nempe timeatur offensio, nisi admittantur. In reliquis Collegiis nomine eleemosynæ, & ab iis, qui filios non mittunt ad nostras scholas, poterunt admitti: Ab ijs autem, quorum filii scholas nostras frequentant, iudicium sumendum erit ex circumstantiis personarum, ac modi dan-

Quæ a Collegiis eleemosynę admitti possunt.

di, & loquendi: quia nimis *durum*, & a ratione alienum eſt, ſi omnes, qui noſtris miniſteriis vtuntur, a beneficiis, & eleemoſynis præſtandis in vniuerſum excludantur. Quare ſi qui eleemoſynam offert, is ſit, de quo probabiliter exiſtimetur, quod non mittat pro compenſatione, vel intuitu miniſterij eius, quod filius doceatur, vel ſolitus fuerit paria mittere, antequam filius ad ſcholas noſtras veniret, vel credatur miſſurus, etiamſi filius ad ſcholas noſtras non veniret; tunc eleemoſyna poterit admitti: non autem; ſi ſecus cenſeatur. multo minus, quando aliquo modo ſignificaretur mitti propter miniſterium vel docendi, vel aliud quoduis; donec is qui mittit plane intelligat, non poſſe admitti, niſi nomine eleemoſynæ, ſecluſo omni alio reſpectu; atque hoc eodem modo ipſe quoque largiatur.

Mo-

Monialium Monasteria confessionum excipiendarum causa nostri ne ingrediantur.

CAP. XXII.

1 QVoniam nostri quibusdam locis, vt accepimus, adduci se sinunt, vt ad excipiendas ægrotantium Monialium Confessiones in illarum Cœnobia ingrediantur: quæ res noua plane nobis visa est, vtpote aliena a more Societatis, & ad ordinarij earundem Confessarii ministerium, quod Instituto nostro repugnat, proprie spectans: propterea, tum vt diligentius in posterum obseruetur Societatis consuetudo, tum vt facilius excusare se possint Præpositi, & Rectores; statuendum duximus, ne quid simile vllo modo permittatur. Hoc igitur R. V. localibus Prouinciæ suæ Superioribus significare oportebit.

Moniali ũ monasteria ne ingrediãtur.

Ne

Ne Societatis Annuæ ostendantur externis.

CAP. XXIII.

Annuæ externis non cõicandæ.

1 Tametsi secus aliquando permissum fuerit; hoc tamen in præsentia iustis de causis statuendum duximus, ne cui posthac externo, quauis occasione, Societatis nostræ annuas communicare, seu ostendere liceat: ita vt nec ipsi Prouinciales facultatem habeant ad concedendum.

Quæ obseruanda sint ad vitandas intercessiones, & patrocinia, quæ religiosæ Societatis disciplinæ aduersantur.

CAP. XXIV.

Ad vitãdas intercessiones.

1 Cum ob varias circumstantias, quæ rem interdum licitam faciunt, prohiberi omnino non possit, ne alii pro aliis apud Superiorem aliquando intercedant; & res Societati valde pernitiosa futura sit, & bono regimini valde noxia, si inordinate fiat: visum est nobis in Domino ea, quæ sequuntur, de modo, quo huiusmodi intercessiones

nes

nes in Societate fieri licite poſſint, breuiter, & aperte præſcribere.

2 Præter eos, ad quorum officium id aliqua ratione pertinet, vt ſunt Conſultores, Admonitores, & Confeſſarii, nemo alterius cuiuſpiam negotium cum Superiore tractandum, & expediendum ſuſcipiat, nec vlla ratione eam curam intercedendi, tamquam propriam ſibi aſſumat: vt cum agitur de aliquo admittendo ad Societatem, vel ab ea dimittendo, aut in ea retinendo; de quopiam ad hunc, vel illum gradum promouendo; ad hæc, vel illa ſtudia applicando, & ſimilibus. Quod ſi quis aliquid ad alios ſpectans Superiori proponere velit; id fiat non ratione amicitiæ, & particularis affectionis, ſed vel ob maius Societatis bonum vel ob ſolidam conſolationem, & ſpirituale auxilium eius, cuius negotium agitur; & tunc re prius Domino commendata, & bene diſcuſſis rationibus, ſatis erit, ſi rem Superiori, vel Admonitori proponat; nec eam ita tractandam ſuſcipiat, vt velit ad exitum omnino perducere; & multo minus cum Conſultoribus agat, vt eos ad ſuam ſententiam alliciat; & tandem ne ſit Superioribus, vel aliis importunus, ſed totam eius rei curam ita Superioribus relinquat, vt quicquid illi, auditis rebus omnibus, in Domino ſtatue-

Quib⁹ intercessiones interdicuntur.

tuerint, melius, & Diuino *obſequio* conuenientius eſſe exiſtimet.

Quinam & quo intercedant.

3 Conſultores autem, & Admonitores, ad quorum officium id aliqua ex parte ſpectare videtur, licet poſſint, & debeant aliquando ſubditorum negotium aliquod cum Superiore tractandum ſuſcipere; memores nihilominus eſſe debent eorum, quæ in ſuis Regulis præſcribuntur; eorum ſcilicet munus eſſe, rem Superiori ſuggerere, rationesq. proponere, ſuamq. ſententiam dicere; ad eum autem pertinere, illis auditis, quod melius in Domino videbitur, ſtatuere. Caueant igitur diligenter, ne vllo modo eorum, quorum res agitur, fautores ſe, & negotii curam ſuſcipere demonſtrent.

Quales ſe gerere oporteat in interceſſionibus.

4 Superiores vero, vbi facta conſultatione, ſi opus fuerit, re bene, matureque diſcuſſa, examinatiſque rationum momentis, hoc vel illud Societati, & ſubdito, de quo agitur, expedire ſtatuerint; ſint omnino in ea deliberatione firmi, atque conſtantes, & nullo modo ab huiuſmodi interceſſionibus, & interceſſorum gratia, vel auctoritate mutari ſe ſinant: immo vero ſerio, & grauiter Interceſſoribus, ſi moleſti forte fuerint, ſilentium imponant, noſque de re tota moneant; curabimus enim

eorum

eorum auctoritatem pro bona gubernatione tueri. Meminerint tamen Superiores eius quod P. N. monuit 9. part. Constit. cap. 2. §. 4. nimirum Superiorem eo modo debere rectitudinem, ac seueritatem necessariam cum benignitate, & mansuetudine miscere; vt nec se flecti sinat ab eo, quod Deo ac Domino nostro gratius fore iudicauerit, & tamen filijs suis, vt conuenit, compati nouerit.

De

De quibus Præpositus Generalis monendus, cum Superiores locales subinde mutandi erunt.

CAP. XXV.

1 RE ipsa experti sumus, vti ab anno 1599. Prouinciales docuimus, in designandis locorum superioribus, cum aliquem moueri officio conuenit, informationum defectu, quas ex prouinciis mitti oporteret, longius extrahi plerumque deliberationem, non sine aliqua vtrinque molestia, nec sine variis interdum incommodis nonnullorum locorum, quæ celeriorem fortasse mutationem requirerent.

Necessitas huius ordinationis.

2 Vt igitur in posterum his omnibus occurratur, visum est his literis Reuerentiam V. ac cæteros Prouinciales monere, vt quandocumque de Superioris alicuius, Superiorumve mutatione agendum est; primum causam dicant, cur liberandus quisque videatur, vt, quod diu forsitan gubernarit, quod minus satisfaciat, quod liberationem ipse expetat, vel si quid aliud est eiusmodi. Deinde subiiciant, quis cuique succedere possit. Et quo facilior sit consultatio, pro vno plures proponant, re prius cum Consultoribus examinata; ac significando etiam quis ex omnibus ad succeden-

Causa mutationis dicenda.

Quis sufficiendus, & quomodo.

dendum aptissimus iudicetur.

3 Denique si de ijs, qui proponentur missæ in Vrbem alias fuerint informationes inter idoneos ad gubernandum, hoc ipsum addant, vt ibi quæratur: sin minus, informationes de eisdem, quæ deerunt, vel tum statim, vel primo quoque tempore mittant. Ita fiet, vt omnibus instructi, quæ ad consultationem necessaria sunt, responsum nostrum, sententiamq. quam minimum differamus. Quod tamen fieri necesse est, cum res tumultuarie, & sine eius circumstantiis proponuntur.

IN-

INSTRVCTIONES EX VARIIS QVINTAE CONGREGATIONIS DEPVTATIONIBVS EDITAE.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali iuxta eiusdem Congreg. Decretum 98. recognitæ.

PRIMA INSTRVCTIO AD RENOVATIONEM SPIRITVS.

De promouendis ad sacros ordines.

1 QVAMVIS ex Conſtitutionibus noſtri ſcholaſtici ad Sacerdotium ordinarie circa finem ſtudiorum promouendi eſſe videantur; quia tamen Sacerdotes fieri non expedit eos, qui non bene in ſpiritu profecerint (cum poſt Sacerdotium longe difficilius, ſi opus fuerit, a Societate dimittantur) cauendum eſt omnino, ne deinceps, qui in ſpiritu, & religioſis virtutibus non bene profecerunt, aut in vocatione ſtabiles, & firmi non ſunt, ad Sacerdotium promoueantur; etiam ſi ſuæ bonæ exiſtimationis iacturam, niſi ordinentur, obijciāt. Quare ſeruanda diligenter eſt a Prouincialibus Inſtructio de ordinandis data anno

1576. & in Consultationibus, quæ de promouendis ad ordines fiunt, quæ in ea instructione præscribuntur, diligenter examinentur; & illud præcipue accurate discutiatur, quod ad profectum spiritualem promouendorum attinet; moneanturque a Prouincialibus Consultores, vt ad Præpositũ Generalem scribant, vtrum hæc ordinatio exacte seruetur.

Qñ loco mutãdi, & quomodo.

2 Quoniam loci mutatio plerumque morum mutationem non facit; ideo qui in aliquo Collegio male se gerit, non mittatur, si fieri potest, ad aliud, nisi prius iuuetur, vbi deliquit; etiam si spes aliqua sit ex ea mutatione, eum qui mutatur, profecturum. Si quando tamen Superiori videbitur, aliquem alio amandandum; mittatur etiam integra, & prudens instructio de moribus eius, qui mittitur, ad Superiorem eius loci, ad quem is a Prouinciali destinatur; vt hac ratione melius regi, & in Domino iuuari possit.

De viatico &c. pro iter agentibus.

3 Nostris iter agentibus, vt de necessario viatico debita cum caritate est prouidendum, ita nulla ratione permittendum est, vt pecunia illis detur ad superflua coemenda, & quæ Religiosæ paupertati minime congruunt, vt sunt curiosa, & pretiosa: & multo minus vt ab externis, seu consanguineis, cum ædificationis iactura, conquiratur.

4 Vt paupertatis puritas, & perfectio

dili-

diligentius a nostris acquirantur, vigilandum a Superioribus est, ne quid in Societatem introducatur, quod vel huic paupertatis perfectioni aduersetur, vel proprietatem aliquam sapiat. Quare vt abusus superfluarum commoditatum, si quis est, penitus tollatur; curent diligenter Superiores, vt omni necessitati, habita ratione personarum, debita cum caritatis significatione prouideatur. Ex quo, præter multa alia, illud in primis sequetur commodum, vt ea ratione facilius superflua, & quæ proprietatis speciem habent, tolli possint. Qua in re antiquiores, & grauiores Patres, & Superiores etiam ipsi omnibus prælucere debent exemplo.

Interdicitur superfluus rerũ vsus.

5 Tollendus videtur ille abusus, vt alias ordinatum est, ne scilicet in nostrorum cubiculis duplices vestes habeantur; sed apud vestium custodem, vt est communis Societatis consuetudo, seruentur; quod etiam de aliis rebus, quæ in vsu non sunt, qualia sunt instrumenta quædam ad iter agendum, & his similia, intelligendum est.

Abusus vestium in cubiculis.

6 Et si regula 90. Prouincialis cauetur, ne quidquam nostri a cognatis, vel amicis accipiant: quia tamen videmus paulatim non leuem abusum in hoc irrepsisse, cum nostri, præsertim Scholastici, non raro ob describendas ab externis scriptoribus lectiones, cum eas ipsi ob infirmam valetudinem scribere

Nihil a cognatis, vel amicis accipiendum pro lectionibus scribendis.

non possint, pecuniam conquirant; qua occasione in alios etiam vsus non necessarios, sæpe conniuentibus immediatis Superioribus, illam expendunt: vt in posterum omnis talium rerum occasio præcidatur, nulla ratione permittant Superiores, pecuniam a quopiam e nostris ad tales, vel similes vsus, conquiri, vel accipi. Quod si quis iudicio Superioris, qui necessitatem intueri debet, indigeat lectionum descriptione; id fiat pecuniis Collegii, in quo ille habitat. Quam ob causam Prouincialis curet, aliquam pecuniæ summam illi Collegio applicare, ne his expensis extraordinariis nimium grauetur.

Quō Superiores indigentibus prospiciāt

7 Nulla ratione permittatur, vt nostri apud se habeant, & secum ferant quædam, quæ pauperibus, quales nos sumus, minime conueniunt: vt sunt horologia rotata, & affabre facta; Reliquiaria valde curiosa, & pretiosa; imagines item multi valoris, & similia.

Curiosa & preciosa interdicūtur.

8 Ne paupertatis sanctæ custodia, quæ plurimum cordi nobis esse debet, vlla ex parte violetur; tollatur abusus ille, qui apud aliquos, vt audimus, irrepsit, qui rei deformitatem forte non attendentes, in libris, quos de Superiorum licentia apud se habent (qui tamen pauci esse debent, & certi quidam) inscribunt ad vsum talis, &c. qui loquendi, vel inscribendi modus, vel prorsus inutilis est, vel si aliquid efficiat, vt scilicet Superiores de hu-

Abus⁹ proprius librorum.

iuſmodi libris minus libere diſponant; paupertatis perfectioni, & puritati aperte repugnat: cum non tantum in rerum dominio, ſed in illarum vſu etiam paupertas plerumque lædi poſſit. In ijs igitur libris, qui communiter a Superioribus cuicumque conceduntur, & aſportari communiter ſolent (vt ſunt Conſtitutiones, vel illarum Summarium, Ioannes Gerſon, vel ſimilis aliquis pius libellus, Officium B. Virginis, & Sacerdotibus Breuiarium, & Diurnum, nonnullis etiam Bibliorum exemplar, & Summula aliqua Caſuum, & his ſimiles) nihil inſcribendum eſt. Reliquis vero libris, qui alicui conceduntur a Superioribus, vel permittitur, vt eos emi curet, quos tamen in vnum, vel aliud Collegium aſportare non licet, inſcribendum tantum eſt nomen ipſius Collegij, vel Domus cui ſunt applicati.

Qui nam permittēdi

SECVNDA

INSTRVCTIO

PRO CONCIONATORIBVS SOCIETATIS.

In virtutibus bene fundētur.

1 CVM Concionatorum munus tanti momenti sit, & ex præcipuis, quæ Societas ad proximorum salutem procurandam exercet; diligenter a Superioribus curandum est, vt qui ad hoc munus talentum a Domino acceperunt, bene ab ipso etiam studiorum tempore in hunc finem instituantur; vt possint suo tempore illud bene ad Dei gloriam, & proximorum salutem fructuose exercere. Quare si qui perspicientur huiusmodi esse; in humilitate, & cæteris virtutibus bene fundentur; quo tutius id muneris exequi suo tempore possint. Nulla ratione autem sinantur con-

cionibus aliorum deſcribendis tempus te-
rere.

2 Quoniam vero Scholaſtici noſtri in domeſticis concionibus frequenter exercen- tur, non ſolum ob varias vtilitates, ſed etiam vt huic muneri publice, & ad popu- lum ſuo tempore præſtando aſſueſcant; in priuatis concionibus, quæ in Refectorio haberi ſolent, non tantum ea, quæ ad Re- ligioſos proprie ſpectant, tractari poterunt; ſed interdum etiam illa, quæ ad populi æ- dificationem facere cenſentur. nimirum ſi Chriſtianæ virtutes, vt eleemoſyna, cha- ritas in proximum, & ſimilia proponan- tur: vitia item, vt ambitio, auaritia, ira, & alia huiuſmodi vituperentur. Hæc au- tem ita explicari poterunt, vt non quaſi ad Religioſos tantum, ſed veluti ad populum etiam, & ad ſeculares homines ſermo diri- geretur.

Quomodo formandi.

3 Ad Præfectum concionum pertinebit, thema, ſeu argumentum ijs, qui concio- naturi ſunt, deſignare; ac pro eorum captu vnum, aut alterum, aut plures etiam Au- ctores, qui illud argumentum bene tracta- runt, aſſignare; vt ex eorum lectione illi materiam eliciant, ex qua ſuam poſtea con- cionem, iuxta cuiuſque propriam inuen- tionem, componant: ac denique viam il-

In argumento tractando a Præfecto docē di ſunt.

lis aperiat, prout necesse cuique *fore* perspexerit, ad bene differendum de *argumento*, quod tractandum assumunt. Conueniet etiam ijs, qui concionaturi sunt, tempus aliquod concedi, iuxta Superioris arbitrium, in quo commode parare se possint: quod vt multum esse non debet, ne nimium a studiis distrahantur; ita modicum esse non expedit, ne imparati ad concionandum accedant. Quare propter varias occupationes, quibus Scholastici distinentur, a quibus propter concionem eximi non debent, biduo saltem ante monendi erunt.

Quomodo exercendi. 4 Ad hunc finem, in præcipuo præsertim Prouinciæ Seminario, bene exercitatus e nostris aliquis concionator Præfectus concionum constituendus est; qui & exemplo suo, & pro cura hac sibi demandata, nostros diligentius exerceat, præcipue vero tertio, & quarto anno Theologiæ; & post singulas conciones libere, & amanter eosdem priuatim (re prius, si videbitur, collata cum Superiore, aut huius iudicio cum aliis Patribus) moneat, in quo defecerint quo ad vocem, gestus, & alias boni concionatoris partes: idque illi in proxima concione emendare studeant; iudiciumque Præfecti de emendatione facta, aut non facta, iterum intelligant, donec bonum habitum in-

induant. Commendabit vero, condemnabitque tum Superior, tum Præfectus, quæ commendatione, aut condemnatione digna videbuntur. Alii vero, ad quos hoc non pertinet, minime permittantur, nec facile, & immodice eos laudare, nec libere carpere.

De tonis cũ fructu faciendis.

5 Vt toni cum fructu, iuxta ipsorum finem fiant, præficiendus illis omnino erit, qui in concionandi ratione eos, qui tonos faciunt, bene, & prudenter instruere possit: idque suauiter ipse præstabit, antequam e suggesto illi abeant; commendando quoque subinde quæ oportet. vtilitas vero e tonis maior speratur, si quadrante horæ circiter ij præmoneantur, qui eos facturi sunt, themate illis assignato.

Ab affectata imitatione arcẽdi.

6 Non est existimandum, ad eundem concionandi modum, vel vnius celebris concionatoris imitationem nostros adigendos esse, vel adigi etiam posse: communia vero documenta ad proprium, quem quisque a natura habet concionandi modum, & facultatem accommodanda sunt; cum varia sit hominum conditio. Monendi igitur ômnes sunt, qui ad hoc munus instituuntur, ne alios in voce, & gestu imitari studeant, quando id quod imitantur, quamuis bonum sit, natura consequi non possunt.

7 Qui

Vacēt sacræ Scripturæ,& legēdis Patrib° saltem per biennium.

7 Qui concionandi *talentum habuerint*, si post absoluta studia *scholastica duos annos* ad ea repetenda, iuxta Reg. 52. *Prouincialis*, posuerint, post tertium annum *probationis*, antequam concionandi *munus suscipiant*, priuato studio sacræ Scripturæ, & legendis Patribus, ac sanctæ meditationi saltem per annum vacent. At vero qui biennium ad repetenda studia non habuerint, per duos annos iis rebus incumbant. Vnde illud etiam commodum sequetur, quod tantopere aliorum concionibus describendis non inhiabunt.

Quales esse oporteat.

8 Vt nostri concionatores fructuosius suum munus exequantur; meminerint Regulæ 2. concionatorum, & diligenter curent, vt in ipsis vigeat zelus animarum, caritas, orationis studium, & deuotio. Immo vero exercitia spiritualia subinde ab illis vltro, & libenter repetita, plurimum ad hæc omnia proderunt. Caueant similiter ab ijs, quæ & concionatores plurimum distrahunt, & eorum studia impediunt, & spiritum, ac deuotionem minuunt, vt sunt nimiæ familiaritates cum externis, eorundem visitationes, donaria, præsertim a fœminis facile admissa, & his similia.

A quibus cauēdum.

Extra domos ne cōcionentur,

9 Quoniam vero nostri ad concionandū in Quadragesima extra Collegium interdum mit-

mittuntur, & accidere nonnunquam poteſt, vt ij, qui mittuntur, ob infirmam, vel imbecillam valetudinem cibis Quadrageſimalibus veſci non poſſint; ideo ad maiorem proximorum ædificationem melius fore iudicauimus, ne huiuſmodi concionatores in poſterum extra noſtras Domos in Quadrageſima concionaturi mittantur. Cum iis vero, qui in Domibus noſtris concionantur, nemo in hoc diſpenſet inconſulto Prouinciali, qui in huiuſmodi diſpenſatione neceſſitatis, & maioris diuini obſequii rationem habebit. In victu vero, & veſtitu ea lautitia, illæ item ſingularitates, & exemptiones, quibus alii merito offenduntur, concionatoribus minime concedantur.

qui cibis Quadrageſimæ &c.

Eorundem frugalitas.

10 Cum noſtri in loca, præſertim remotiora, concionaturi contendunt, non ducant plures equos, quam duos, vnum ſcilicet pro ſe, alterum pro ſocio: nullo autem modo tertium pro ſcriptis, aut ſarcinis addant. In reliquo etiam apparatu, & hoſpitiis ſeruetur religioſa mediocritas: victum præterea potius, quam pecunias pro illo accipiant, cum extra Collegium concionantur; idque vel apud Eccleſiaſticum, vel alium honeſtum ciuem: is vero ſit tenuis, & parcus, vt Religioſos decet. Viaticum vero non niſi neceſſarium, pro ſolo itinere ad reditum admit-

Terti⁹ equus pro ſarcinis interdicitur.

Apparatus & viatici religioſa mediocri.

mittant, & domi rationem de accepto reddant: quam etiam ab alijs de quouis viatico sibi reddi Superior iubebit.

Vltra triennium non doceant.

11 Qui talenta ad concionandum ostendunt, præsertim rariora, non vltra triennium in docendi munere tam humaniores literas, quam Philosophiam, & Theologiam detineantur; ne si secus fiat, quando in ijs studijs pene consenuerint, tunc demum ad concionandum accedant.

TER-

TERTIA INSTRVCTIO PRO CONFESSARIIS SOCIETATIS.

PRINCIPIO, quod habetur in Regula Prouincial. 100 de maturitate Confessariorũ, id in primis curãdum, vt multo maior ratio maturitatis habeatur in spiritu, moribus, & ædificatione: alioqui ætas, quæ conciliare etiam solet auctoritatem, non multum proderit. Prima ergo cura ponatur circa promotionem ad Sacerdotium, iuxta ea quæ dicuntur §. 1. ex Deputatione pro renouatione spiritus. Cauendum vero, ne spe futuræ emendationis adhibeatur hoc medium promotionis ad illos in spiritu iuuandos, nisi aliunde constet emendatio. Ad hæc quod præscriptum fuit anno 1590. §. 6. de biennio expectando recens

Maturitas in moribus &c.

De promotione ad Sacerdotium

Nõnisi post bienniũ ad mulierum

confessiones exponantur. recens ordinatis, ita seruetur, *vt & illo tempore*, & etiam post illud, *antequam ad mulierum confessiones exponantur, occupentur* virorum confessionibus audiendis; *tum vt* maioribus laboribus assuescant, & *fructuosius*, ac latius occupentur; tum vt experiatur Societas, ecquid in hoc ministerio valeant; tum demum, vt hoc modo maturiores fiant, nec imparati accedant.

Ad crates mulieres audiendæ. 2 Regula 15. Sacerdotum, vt ad crates mulieres audiantur, omninò seruetur, etiam in summa frequentia, neque excusationes admittantur, etiam si sint puellulæ.

De nõ protrahendis colloquijs in confessionali. 3 Et quoniam plurima habet incommoda, si in confessionali longa protrahantur colloquia, omninò regula 17. Sacerdotum exactè seruetur, ne de rebus ad confessionem non pertinentibus eo loco loquantur. Quod si contingat de alijs rebus ad consolationem, vel vtilitatem illarum esse loquendum; id non flexis genibus in confessionali, sed stando, vel sedendo breuiter, & modeste, demissis oculis (*vt regula dicit*) fieri debet. Quare operæ pretium erit, nonnulla loca patentia, & decentia in aliqua templi parte, pro ratione regionis, assignare, ad quæ fęminæ accedant, vt nostros alloquantur: sic enim fiet, vt & colloquia breuius finiãtur, & minus frequenter accedant, cũ pateat sermones illos non esse confessionem; & non offendantur alij, dum existimant

Extra confessioné in paténti loco colloquantur.

ſtimant, confeſſiones earum, quæ frequenter confitentur, adeo in longum protrahi; & vt omnis occaſio præcidatur. Si pœnitentes prætendant ſcrupulos, inſtruant illas Confeſſarij, ne hiſtorias narrent, & inutilia repetant; & interdum etiam ipſi ſermonem abrumpant. Nā ſi vere ſcrupuli ſunt, vbi id illis certo conſtet, nihil opus erit longas orationes audire. Quod ſi agatur de meditationibus, & ſpiritualibus exercitijs, fiat id potius per ſpirituales libellos Granatæ, & aliorum, quos apud ſe legant. Et ſi in aliquo caſu paticulari aliter faciendum eſſet, id non fiat, niſi conſulto Superiore.

Quid cum de ſcrupulis & ſpūalibus exercitijs agitur.

4 Seruetur etiam regula 21. Sacerdotum Curetur etiam, ne Confeſſiones generales excipiantur earum, quæ ſemel generaliter alicui confeſſæ fuerant, niſi id exigeret manifeſta neceſſitas Sacramenti, ob confeſſiones inualidas; quod tamen in huiuſmodi raro admodum probabile eſt poſſe contingere.

De generaliter audiēdis.

5 Coſtituantur ſyndici non modo Aeditui, & aliqui ex ſocijs, ſed nonnulli proximi Sacerdotes, qui obſeruent, & Superiorem moneant, tam de prolixis confeſſionibus, quam de colloquijs, quæ extra confeſſionem protraherentur.

Syndici.

6 Quæ matutino tempore ſunt confeſſæ vel ſequenti die mane confiteri debent, non permittantur a prandio accedere prætextu con-

Mane confeſſæ non audiātur a prandio.

confessionis; sed si accesserint, Confessarij reijciant in diem crastinum, si sunt communicaturæ; & si illo ipso die, quo accendunt, communicauerint, differant ad diem sequentis confessionis.

De socio secum retinendo.

7 Circa regulam 18. Sacerdotum, de retinendo secum socio, omnino exacte seruandam, inuigilent Superiores diligenter, & acceptis his nostris, conuocent omnes Sacerdotes, illisque tum alia, quæ ad eos spectant; tum præcipue literas nostras legant, quas de hac re 15. Iulij anno 1585. ad Superiores dedimus. Ijs vero, qui suas regulas 15. 16. 17. & 18. non seruauerint, monitiones seriæ, & pœnitentiæ prima vice iniũgantur. & quamuis nobis non placuerit vniuersim præceptum imponere obedientiæ, vt id seruent; tamen alicui particulari, qui eo fræno indigebit, poterit, ac etiam debebit Superior id imponere. Quod si id non seruare fuerint deprehensi, remoueantur statim a confessione fœminarum, & nos moneamur, vt dispiciamus, an tales in Societate retinendi sint, vtpote qui in re graui, periculosa, & tam seuere iniuncta parere noluerint. Quod si locus vbi infirmæ iacent, ita angustus sit, vt per loci dispositionem fieri non possit, vt socius Patris adsit; cum primum domum redierint, Superiorem moneant, vt is consideret, an secundo illuc redeundum sit, vel potius (in quod

Monendi.

Etiam remouẽdi a cõfessione fœminarũ

Qñ locus infirmę angustus est.

quod magis inclinamus) ea cura proprijs Parochis reliquenda. Quod vt melius omnino seruetur, iniungitur Superioribus omnibus, vt in publicis exhortationibus moneant omnes, quod quamuis nulla sit peculiaris regula, quæ socios moneat, vt ipsi Superiori significent cum redierint, an Sacerdos regulam seruauerit; tamen & ex nonnullis regulis alijs, & ex nostra hac peculiari ordinatione, socij & fratres omnes tenentur, Superiorem ea de re vere, & syncere monere: quod si non fecerint, intelligant, nec suæ conscientiæ, nec Societatis bono se satisfacturos; & Superiores in eos, tanquam in inobedientes, esse animaduersuros. Sacerdotes vero, etiam si maxime socij extra remanere vellent, nulla ratione id permittere debent; tum ne illi ociosa colloquia cum alijs misceant, tum ne ipsi sint sine teste.

Publice socij docēdi de hac regula.

8 Circa communionis frequentiam optandum est, vt seruetur regula 26. Sacerdotum, ne crebrius, quam octauo quoque die, &c. Sed quoniam in nonnullis ciuitatibus, vbi passim maior est communionis frequentia, & cum nonnullis personis, quæ ab aliquo tempore frequentius in hebdomada communicant, vix fieri poterit; saltem illud retineatur, vt in futurum nec Confessarijs, nec Rectoribus liceat dispensare, nisi tantum Prouinciali, vt bis in hebdomanda fieri possit.

De cōmunionis frequentia.

Cum ijs vero, qui consuetudinem habent frequentius communicandi, curetur quod suauius fieri possit. Illud tamen non dubium est, si Confessarij serio sibi persuadeant, id maiori proximorum vtilitati, Societatis bono, & ædificationi conuenire; fore, vt cum vtrisque feliciter omnia transigantur.

De mulieribus inuisendis.

9 Et quoniam magna iactura temporis, & fructus spiritualis in ministerijs, certe plusquam oportet, mos inoleuit visitandi, & salutandi; omnino necessarium duximus ad meliorem regulæ illius obseruationem, quæ de non-inuisendis mulieribus agit (est autem 72. Præpositi, & 70. Rectoris) aliquid certius statuere. Et sane extra casum necessitatis) qui esset verbi gratia, in aliqua infirmitate, aut luctu, aut morte aliquorum, pij alicuius negotij, & huiusmodi) raro admodum spes ista magni fructus euenire potest. Quia tamen modus agendi Societatis, accepta beneficia, & declinatio rusticitatis cuiusdam, non permittunt, vt hæc officia nostris omnibus interdicantur, moderatione aliqua opus erit. Hanc nos commodissimam hoc quidē tempore arbitrati sumus, vt habeatur ratio tum personarum, quæ inuisuntur, tum nostrorum, qui inuisunt. Itaque tria concurrere debent, vt aliqua digna existimetur, quæ a nostris officij causa inuisatur. Primum, vt sit persona nobilis, & primaria; neque enim om-

Tria requisita ad inuisendum.

nibus deuotis cuiuſcumque gradus id officij par eſt præſtare: cum ſatis poſſint in noſtris Eccleſijs, & confeſſionibus, & pijs colloquijs, & iuuari, & inſtrui. Secundo, vt ſit benemerita non vulgariter de Societate. Tertio, vt in domo illa marito, cognatis, vel huiuſmodi, id officij gratum potius, quam odioſum eſſe credatur. Cæterum ne in deſignatione huiuſmodi perſonarum errari contingat; volumus, cum Prouincialis viſitat ſingula Collegia, auditis Conſultoribus deſignet eas; quibus ſine offenſione, præter circumſtantias iam dictas, id negari non debeat, cæteras omnes huiuſmodi viſitationes ſuperfluas prohibeat. Noſtri autem, qui id facere poſſunt, videntur eligendi quam pauciſſimi, nimirum Superior, qui quaſi publico nomine pro Collegio id exhibeat (ita tamen, vt valde moderate, & circumſpecte id faciat, vt alijs exemplo præluceat) & Confeſſarius, cum quo tanquam Patre ſpirituali perſonæ, quæ viſitandæ ſunt, confidenter agere poſſint; qui ſi prohiberetur, maxime offenderentur. Cæteri vero, ſi quando expediat, vt aliquis mittatur, non ipſis petentibus, ſed Superiore ſuo nomine eos mittente, ſi fuerint viri ſerij, graues; & ſpirituales, poterunt interdum id præſtare.

Perſonæ deſignētur

10 Prouinciales autem in Viſitationibus diligenter inquirant, quomodo hæc omnia ſer-

De his oībus Gñalis monēdus.

seruentur, & nos exacte moneant. Curess. etiam, quod aliquando quibusdam *literis vniuersalibus* commendauimus, *vt occasione* missionum Confessarij interdum *mutentur*; ne angustus sit fructus, si perpetuo cum nonnullis deuotulis occupentur.

Ad hoc munus affecti sint.

11 Curandum, vt nostri Confessarij, iuxta regulam Sacerdotum 8. multum afficiantur ad hoc munus, vt proximis pernecessarium, & nostri Instituti valde proprium; præcipue vero inuigilandum, ne sint minus affecti, minusq. prompti erga homines pauperes, aut vulgares. Quod si hos refugere deprehenderint Præfectus Ecclesiæ, vel Æditui, omnino Superiori significandum erit, vt Confessarium officij serio monere possit.

Præsertim erga pauperes.

eorundem munus & spiritus.

12 Curandum item diligenter, ne numero potius pœnitentium, quam fructu eorum spirituali gaudeant; magisq. soliciti sint, vt ad veram contritionem pœnitentes promoueantur, vitia emendent, in via spiritali dirigantur, & promoueantur. Ac quoniam in hac parte notabilis remissio ex spiritus, ac zeli in Confessarijs defectu aduertitur; de hoc resuscitando elaborandum est: nec alia media efficaciora videntur, quam orationis, meditationis, ac mortificationis studium, otij declinatio, moderata, & ex spiritu Societatis ordinata cum externis conuersatio, de spiri-

tuali-

tualibus rebus,& modo iuuandi animas cum domesticis colloquutio, regularum omnium, earum præsertim, quæ de fœminarum confessionibus præscribunt, vt superius dictum est, exacta obseruatio.

Quare tollendi sedulo, qui sequuntur abusus, sicubi existant: plures horas dare pauculis fœminis, vt alijs ad confitendum locus nõ sit; alias confiteri volentes arcere, ne filiæ propriæ spirituales (vt vocari consueuerunt) expectare cogantur.

Quinã tollendi.

13 Sicubi non est introductum, valde cupimus, vt introducatur, quod Romæ, & alibi fit, si accurrentium frequentia id postulet; vt scilicet designati Sacerdotes statis diebus certis horis in templo resideant, vt qui confiteri volunt, ad manum habeant Confessarium.

Designentur in templo statis diebus.

14 Quæsierunt nonnulli, qua formula vtendum esset nostris in absolutione ab excommunicatione,& alijs censuris, cum decima regula Sacerdotum omnibus eandem præscribat. Respondimus, in foro quidem conscientiæ, quod frequens est, vtendum formulis, quæ habentur in Directorio P. Polanci piæ mem. Sed in foro exteriori, quod rarissimum eueniet, si ex delegatione Prælatorum aliquando contingat, sequantur formulam in eo Episcopatu receptam.

De formula absoluẽdi a censuris &c.

15 Ad ocium autem vitandum, & oc-

Ad ociũ in paruis Collegijs vitandum.

currendum quorundam nostrorum querimonijs, dicentium in paruis aliquibus Collegijs non satis esse occupationum; quamuis nihil opus sit statuere, aut ordinare, cum ex regulis, & constitutionibus, & formula Instituti satis constet, non deesse plurima, in quibus iuxta gratiam nostræ vocationis occupari debeamus: tamen, vt id Superiores quasi compendium præ oculis habeant, non erit inutile, si quæ nobis a Prouincia Romana anno 1590. proposita fuere, quorumque copia iam fuit transmissa, inspiciant; vt subditi iuxta Superiorum arbitrium, & voluntatem, habita locorum, temporum, & personarum ratione, in ijs exerceãtur.

QVAR-

QVARTA INSTRVCTIO AD OCCVPATIONES VARIAS,

In quibus ſacerdotes operarij Societatis cum fructu exerceri,& tempus vtiliter collocare poſſunt: a Cógregatione Prouinciæ Romanæ anno 1590. propoſitas.

Et a R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali approbatas.

OMNES occupationes, quæ in Collegijs Societatis vel iam ſunt, vel introduci poſſunt, ad tria capita reducuntur; primo ad ſpiritum;ſecundo ad ſtudia; tertio ad proximos.

Occupationũ tria capita.

Pro spiritu orationis assiduitas &c.

1 Quoad spiritum, *in primis opportuna* erit oratio, & meditatio extra *illam horam* assignatam a regula, prout *cuique deuotio* suggesserit, & quantum per *caritatis*, & obedientiæ occupationes *licuerit; dummodo* semper Confessarius, vel Superior consulatur. Oratio enim non solum faciet, vt bene, & sancte insumatur illud tempus, sed etiam expellet alia via otium, quia impellet ad agendum, & quærendos vltro proximos, quos iuuemus. Atque in hoc capite non solum comprehenditur oratio ipsa, sed etiam lectio librorum spiritualium, & omnes eiusmodi spirituales mentis exercitationes in Deum.

In studijs præsertim casuum cōsciētiæ occupatio.

2 Quoad studia, bonum est, vt nostri Sacerdotes paulo magis delectentur studijs, tum ad otium vitandum, tum propter vtilitates, quæ consequuntur. Et ideo non est res restringenda ad vnum tantum genus; sed possunt se exercere in pluribus. Primo, & præcipue in casibus conscientiæ; deinde in Scriptura sacra, & sanctis Patribus: aliquando etiam legere historias Ecclesiasticas, & vitas Sanctorum. In quo etiam iuuerit, vt melius seruire possint quæ leguntur, conficere sibi compendium non modo casuum, sed etiam selectorum exemplorum, quæ deinde sint vsui inter agendum cum proximis. Confert etiam plurimum, si sæpe legant, &

præ

præ manibus habeant librum Exercitiorum ſpiritualium, Directorium P. Polanci, & Methodum iuuandi morientes. Sed tamen videndum eſt, ne occupentur in quibuſdam ſtudijs inutilibus, ex quibus vel nullus eſt fructus, vel quæ non ſunt proportionata illorum capacitati, quia ſic amittitur tempus. Iuuabit etiam, vt ſit maior copia librorum varij generis in Collegijs. In particulari, quoad caſus conſcientiæ, fiant conferentiæ exacte, & diligenter de rebus vtilibus, & practicis, & præuideantur materiæ; quia ſi fiant, vt debent, bis in hebdomada, & hoc modo quo diximus, erit hæc inter alias ſatis bona, & vtilis occupatio.

Zelus cum proximis.

3 Quoad tertium, de proximis, vix poteſt deeſſe occaſio, ſi quis velit, & habeat zelum. Quare hoc præcipue procurandum, vt noſtri concipiant, & foueant hunc zelum, ita proprium noſtri Inſtituti. Modi autem, & occaſiones iuuandi proximos multæ ſunt, & fere in omnibus locis ſunt; vt docere doctrinam Chriſtianam, tradere exercitia, & quærere, & inducere homines ad ea peragenda, cum prudentia tamen; viſitare hoſpitalia, & carceres, quærere eleemoſynas pro ijs, qui ſunt in carcere, & Xenodochijs; pacificare inimicitias, facere conciones, vel exhortationes in ijſdem locis, reducere eos qui ſunt in malo ſtatu, iuuare confraternitates,

Modi iuuandi proximos.

tes,

tes, vbi sunt, iuxta nostrum *Institutum*, & vbi non sunt, introducere; adire *scholas* externorum, & in eis, consentientibus *ludi* magistris, aliquas exhortationes habere, iuuentutem ad confessionem allicere, quamuis melius sit curare, vt ipsi magistri per se hoc facerent; visitare infirmos ad eos consolandos, & spiritualiter iuuandos, qua ratione iuuantur etiam propinqui, qui adsunt, & fiunt amici, & facile adduci possunt ad frequentanda Sacramenta. Pro hoc etiam conferet, cum proximi veniunt ad nostrum Templum, libenter eos admittere, & audire in confessione, etiam si cum aliquo nostro incommodo: & cum occurrunt nobis in vijs, inuitare eos qualibet occasione, vel leuis amicitiæ, tum etiam parentes discipulorum nostrorum conciliare Societati. Iuuabit etiam facere interdum conferentias de modo iuuãdi proximos, verbi gratia, infirmos, vel qui modus tenendus sit in pacificandis discordibus; aut in confessione quid remedij dari possit huic, vel illi peccato. Præterea possunt fieri missiones ad loca vicina per duos, aut tres dies hebdomadæ, ita vt redeant, & adsint die Dominico. Iuuabit etiam, quod fit erga proximos, non facere casu, sed scienter, & cum consideratione, animo repetendo, quomodo auditæ sint confessiones in particulari huius, vel illius: quomodo remedium

Conferentia de modo iuuãdi.

posi-

positum sit huic, vel illi, qui indigebat: item, quo affectu, quo zelo, quo patientia. Deniq. curandum esset, vt in omnibus locis vbi residet Societas, hoc intelligeretur, Societatis professionem hanc esse, vt præsto semper sit ad proximos; neque illi gratius quicquam esse posse, quam ad hoc adhiberi omni hora, in omnibus rebus consentaneis nostro Instituto. Hoc enim faceret, vt omnes ad nos libenter concurrerent.

Obseruanda a Superioribus.

4 Sunt etiam quædam obseruanda a Superioribus. & primo, vt ipsi quoque, & quidem omnium maxime, ferueant zelo animarum, & eum præ se ferant, & sæpe animent suos, atque ipsis factis ostendant id sibi cordi esse, fouendo, & promouendo profectus proximi, & præbendo auxilium, quod possunt; & inter alia facile dando socium, quando petitur. Præterea ipsi quoque pro parte sua faciant quod possunt, eundo interdum ad hospitalia, & ad moribundos: at si non eunt sæpius, constet non ire propter occupationes sui officij. Præterea non faciant ipsi quoque omnia per se, & præsertim nobiliores actiones, & diuidant eas cum suis. At cum aliquis se excusat, quod non possit, vel non habeat talentum, non facile admittant, sed animent, quia Deus concurrit, & adiuuat. Tollant alias occupationes minus vtiles, & quæ tempus præripiunt, animosq. ab vtilioribus, ne-

necessariis, institutoq. magis proprijs aversis. cuiusmodi sunt excursiones, visitationes, confabulationes cum externis, vel etiam cum nostris. Curent vt in omnibus Collegijs sit vnus saltem doctus, quia ille exercebit reliquos: & faciant, vt in Collegijs semper vigeant aliquæ bonæ exercitationes. Denique Superiores ipsi curent, non solum vt cum suis consultet de modo fugiendi otij, & quænam bonæ, & aptæ exercitationes introduci possint; sed etiam inuigilent, vt his nostri occupentur. Ipsi enim, cum melius norint statum, & conditionem illius Ciuitatis, & loci, in quo sunt; facilius poterunt inuenire, in quibus possint occupari.

QVINTA INSTRVCTIO DE CASIBVS RESERVATIS IN SOCIETATE

Iuxta Decretum S. D. N. Clementis VIII. de casuum reseruatione pro Regularibus.

1 SANCTISSIMVS D.N. qui iam pridem accurate perpendit, & re ipsa comperit, quod reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes a peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderate illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ

Præscribitur casuũ reseruatio.

næ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem. Ideo vt huic malo S. Sanctitas opportune proſpiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis ijs, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerit.

Qui reſeruari poſſint.

1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia. 2. Apoſtaſia a Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus egreſſio fiat. 3. Nocturna, ac furtiua e Monaſterio, ſeu Cōuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale. 5. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto. 7. Falſificatio manus, aut ſigilli officialium Monaſterij, aut Conuentus. 8. Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. 9. Lapſus carnis voluntarius, opere conſumatus. 10. Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſque perſonæ. 11. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.

3 Si

3 Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro cõscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in prouincia matura discussione, & consensu.

Facultas reseruandi cui concedatur.

4 Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint.

Qñ Superior audire poterit cõfessiones subditorũ.

5 Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres, aut quatuor Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori; iiq. sint docti, prudentes, & caritate præditi, qui a non reseruatis eos absoluant, & quibus etiã reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Deputadi pro absolutione a reseruatis.

6 Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Interdicitur notitia per confessionem habita.

7 Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, a Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Superioris erit pœnitentias determinare

Derogatur oibus priuilegijs

Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi *sint*, *obseruari* mandauit, non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis Concilij, etiam generalis, Decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut regulis in Generalibus, aut Prouincialibus capitulis editis, statutis, & Constitutionibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis, priuilegiis, indultis, & concessionibus quibuscumque (quorum tenores hic pro expressis haberi voluit) cæterisq. in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum. Die 26. Maij. 1594.

Andreas Sorbolongus Secret.

S. D.

S. D. N. Clemens VIII. cum nostra Societate dispensauit, & viuæ vocis oraculo concessit.

1 VT cum prohibentur Superiores audire subditorum confessiones, supra §. 4. non intelligantur Superiores, qui sunt Magistri Nouitiorum.

Nouitiorũ Magistri excipiũtur.

2 Ne in singulis Domibus, præter Confessarium ordinarium, teneantur deputare duos, vel plures Confessarios, qui a reseruatis absoluant, vt dicitur supra §. 5.

Tenemur deputare Confessarios pro reseruatis.

3 Ne iudicium a reseruatis absoluendi Confessarijs absolute relinquatur, vt in eodẽ §. dicitur, sed liceat interdum (quod omnino necessarium est) Superiori, pro ratione sui officij, huiusmodi facultatem denegare in ijs casibus, in quibus constat, iuxta ea, quæ Doctores dicunt, & discreta caritas docet, licentiam huiusmodi esse denegandam, vt plenius in instructione explicabitur.

Superior denegare poterit absolutionẽ &c.

Decret. 67. & 73.

Casus, quorum absolutio reseruata est Superioribus Societatis, auctoritate quintæ Congregationis generalis editi, & obseruandi, præter eos, qui supra scripto decreto S.D.N. Clementis VIII. omnibus Regularibus reseruantur, iuxta §.2. dicti Decreti.

Casus reseruati pro nostris in V. generali Cõgreg.

1 PEriurium, & falsum testimonium in iudicio, vel extra. 2. Furtum, & vsurpatio alicuius rei contra Votum paupertatis, in ea quantitate, quæ efficiat peccatum mortale. 3. Lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra Votum castitatis, quod in actum externum prodeat. 4. Inobedientia expressa, qua quis asserit se nolle parere. 5. Seditio in Superiorem, & diuisio a capite in graue nocumentum Societatis. 6. Detractio famæ, bonæq. existimationis aliorum, & discordiarum seminatio inter fratres. 7. Impedimentum excludens e Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, vnde graue aliquod incommodum oriri possit. 8. Acceptio, seu missio literarum absque licentia expressa, quæ scilicet acceptio, vel missio cõtineat rationem peccati mortalis. 9. Transgressio Votorum simplicium, quæ Professi emittunt post professionem. 10. Censuræ Societatis nostræ, seu peccata, quæ in nostris Constitutionibus, Bullis, vel Decretis anne-

xam

xam habent excommunicationem.

Hęc omnia cum manifeste erunt mortalia, & in actum exteriorem prodierint, reseruantur Superiori Domus, vel Collegij, & ab alio, nisi de expressa licentia illius, absolui non possunt.

Qũ censentur reseruata.

SEXTA

INSTRVCTIO

PRO SVPERIORIBVS, ET CONFESSARIIS SOCIETATIS

Circa casus reseruatos.

Superior non debet esse difficilis.

1 QVANDO Confessarius, tacito nomine pœnitentis, a Superiore petit facultatem absoluendi a casu reseruato, nullo modo Superior difficilis esse debet, sed facilis potius, & promptus in ea concedenda: immo eum persuadere sibi conuenit, posse se hac in re grauiter offendere, si imprudenter, & sine iusta, grauiq. causa eam negat.

2 Quia tamen & Doctores censent, Superio-

periorem interdum debere pro ratione sui officij, huiusmodi facultatem negare; attendat is diligenter, vt id raro faciat, & in iis tantum casibus, in quibus docebit discreta caritas, iuxta ea, quæ ijdem Doctores tradunt, licentiam huiusmodi esse denegandam; vt, verbi gratia, cum probabiliter timeri poterit scandalum, aut recidiuum pœnitentis, aut alterius. In huiusmodi enim, quæ inducunt necessitatem vitandi scandalum, vel damnum Collegii, aut alterius ruinam, manifestum est, pœnitentem teneri per se, vel per Confessarium rem ipsam Superiori manifestare, tanquam illi, qui remedium necessarium adhibere potest, saluo tamen sigillo, vt oportet.

Qũo, & qñ facultatẽ negabit.

3 Caueat vero Superior, ne cum ab eo petitur facultas, curiose inquirat, aut aliud quid faciat, vnde conijcere possit quis ille sit, pro quo petitur; & ne circumstantias alias exquirat, quam quæ ad rem pertinent. Caueat etiam Confessarius, ne quid elabatur, ex quo pœnitens cognosci possit: qui si timet, ne ex notitia alicuius rei possit Superior probabiliter suspicari, quis ille sit; sciat se omnino eam reticere debere, & omnem cautelam adhibere in casu proponendo, ne vlla ratione Superior possit probabiliter agnoscere auctorem. In quo si viderit,

A quibus Superiori & Confessario cauẽdum.

derit, proponendo casum in specie, occasionem suspicionis Superiori dari, satis erit, si in genere dicat aliquem in casum reseruatum incidisse, qui nec damnum Societati, nec alteri, nec ipsi pœnitenti afferre possit. Vterque denique tam Superior, quam Confessarius memores sint obligationis sigilli, & ita se gerant, vt eius puritati, & integritati per omnia consulant.

Cum Superior & Cõfessari⁹ nõ côueniũt, quid agendum.

4 Quod si post relationem factam a Confessario de casu, & circumstantijs, quæ saluo sigillo indicari possint; iudicat Superior facultatem non esse concedendam: & hoc non obstante Confessarius vrget, huiusmodi Superioris seueritatem in maius detrimentum spirituale, ruinam, & laqueum pœnitentis cadere, quod videat illum obfirmato esse animo, & nullo modo velle Superiorem adire, (in cuius rei iudicio Confessarii conscientia oneratur) tentanda erunt media aliqua, de quibus pro re nata Superior, & Confessarius inter se conferent, ac tandem, si nullum aliud reperiatur, Superior facultatem negare non debet.

Qñ p aliũ facultatem petet.

5 Porro cum subditus, non per Confessarium ordinarium, sed per alium sacerdotẽ facultatem petit, non facile acquiescere debet Superior, nisi sacerdos ille talis sit, cui merito committi possit: e conuerso continge-

re poterit in aliquo casu, vt si nolit subditus Superiorem adire, expediat a Superiore designari aliquem ex senioribus doctum, prudentem, spiritu, & caritate plenum, qui melius, aut æque bene ipsi mederi possit, ac Confessarius ordinarius: id enim non erit absre aliquando facere.

6. Cæterum hæc de ijs intelligenda sunt, qui in Societatis Domibus, vel Collegiis resident: nam de iter agentibus, quando ad aliquem Societatis locum diuertunt, aliter iudicandum est; quos nempe potest a reseruatis ordinarius loci illius Confessor absoluere, aut si is haberi non possit, quilibet alius Societatis sacerdos approbatus; aut si is quoque desit, etiam externus. In omnibus tamen his casibus cum onere, & obligatione, vt se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri, vel redituri sunt, eique, aut alteri de eius licentia, confiteantur. Si vero accidat, vt aliquis tanquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen ibi moraturus, puta spatio vnius, aut alterius circiter mensis; si is eo tempore in casum aliquem reseruatum incideret, poterit, ac debebit absolui a Superiore illius loci, in quo est, vel de eius licentia, tanquam si proprius esset eius subditus, sine obligatione sistendi se Superiori eius loci, ad quem proprie perti-

Facultas absoluédi iter agétes

Obligatio se Superiori sistendi.

Diuersa rō cómorátis in Collegio spatio vnius vel alterius mensis.

 net:

Obligatio sistendi eadē est pro Superioribus.

net. Idem autem, quoad obligationem se-sistendi, seruandum est Confessarijs Recto-rum, & aliorum Superiorum localium, quando ij (quod Deus auertat) in aliquem casum reseruatum inciderent, & non esset præsens Prouincialis, cui talia reseruantur. Idem quoque ipsorum Prouincialium Confessariis, cum præsens non esset is, qui ad eum finem a Generali esset destinatus.

In dubijs Cōfessari⁹ pōt absoluere.

7 Ad extremum, vt omnes eximantur scrupuli, & maiori cum fiducia, ac libertate procedatur, cum Confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, quod proponitur; ab eo, etiam si ex genere suo reseruatum sit, potest absoluere, licet huiusmodi dubitatio ex ignorantia procedat: sed neque postea si animaduerterit manifeste fuisse mortale, repetenda erit confessio; bona siquidem, & vera fuit absolutio.

Qua cautela vtendū Cōfessarijs circa pœnitentes.

8 Et hæc quidem de casibus reseruatis. Cæterum, quia propter multas, & maximas vtilitates, non modo in casibus reseruatis, sed etiam in alijs, quæ nec reseruatá sunt, & interdum nec etiam mortalia, vt sunt peccandi pericula, diuturnæ tentationes, & huiusmodi; valde expedit, & pœnitenti mirum in modum vtile est, si syncere cor suum Superiori aperiat; non prætermittat Confessarius in huiusmodi casibus, prudenter eas

vti-

vtilitates pœnitenti ſuggerendo, illum hortari, vt Superiorem adeat. Quod ſi ſuauiter obtinere nequeat, non erit tandem pœnitens nimis vrgendus; niſi alioqui caſus eſſet ex ijs, in quibus, vt dictum eſt, teneretur pœnitens rem manifeſtare, & alioqui non eſſet capax abſolutionis.

SEPTI-

SEPTIMA

INSTRVCTIO

DE NOTITIA HABITA PER CONFESSIONEM

Ne noſtri, vel Superiores, vel alij ea vtantur, etiamſi vſus alioqui licitus foret.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali tradita anno 1590.

Citantur a Dñico Soto lib. de rōne ſecreti m.3.q.4. & a Nauar. in c. ſacerdos. de pœnit. d.3.n. 144. & ſequentib.

TAMETSI non deſunt Doctores, qui ſentiant ſaluo ſacramentalis confeſſionis ſigillo, iuſtis de cauſis licere nonnumquam Confeſſario (cum id fieri poteſt ſine vlla reuelatæ confeſſionis ſuſpicione) vti extra confeſſionem notitia per confeſſionem habita: tamen quoniam hæc doctrina

ctrina & eam exigit in tanta re circumspectionem, quam seruare perdifficile sit; & interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori sanctitas, & nostræ Societatis institutum requirunt in seipsis, rebusq. suis Confessario aperiendis; Idcirco visum nobis est in Domino statuere, sicut & seuere statuimus, pro reuerentia, qua semper Societas nostra coluit huius Sacramenti inuiolabile sigillum, & libertatem; vt omnes Superiores diligenter caueant, ne vel ipsi, vel nostrorum aliquis supradictam doctrinam vsquam introducant, nec illam publice, aut priuatim doceant, nec ea vtantur vllo modo (nisi forte de pœnitentis licentia) sed ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarii, ac si in confessione nihil penitus audiuissent; sibiq. persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.

Interdicitur huiusmodi doctrina &c.

OCTA-

OCTAVA INSTRVCTIO PRO NOVITIIS SOCIETATIS.

Delectus in admittendo.

1 QVONIAM prima boni status Societatis origo in admittendis ijs consistit, qui nostro Instituto congruunt; ideo Superiores, ad quos admittendi munus spectat, in admittendo non sint nimij, sed delectum personarum habeant: nec nostrorum, vel aliorum importunitate moueri se sinant; nec bona externa, vel nostrorum affinitatem, sed potius ad nostrum Institutum aptitudinem in admittendis sequantur.

Ineptis in dimittendis.

2 Postquam vero in Societatem admissi fuerint, curent Prouinciales, vt patronos non habeant, qui eos, licet ineptos, in Societate retineri curent: ac porro in dimissionis

nis negotio Magistri Nouitiorum iudicium magnifaciant, nec se in dimittendo difficiles exhibeant, cum id Nouitiorum Magister, causis adhibitis, proponet. neque enim necesse est de cuiusque Nouitij dimissione inire consultationem; neque expectandæ sunt graues culpæ, ob quas Nouitius dimittatur.

Qñ exercitia spualia facienda.

3 Commendent etiam Prouinciales Nouitiorum Magistris, vt exercitia spiritualia, iuxta eorum Regulas 23.24. & 28. ab ijs, qui Societatem ingrediuntur, fiant; & intelligant moderationem illam, quam Regula interdũ concedit, non debere esse ordinariam, neque crebro vsurpandam; sed si quando hoc experimentum ob iustas rationes distulerint, non diu differant, cum hæc exercitia primum, & præcipuum locum inter experimenta sibi vẽdicent. Reliqua vero experimenta præsertim Doctrinæ Christianæ, hospitalium, & peregrinationis exacte fieri curent, vt in eorum Regulis præcipitur.

Quales Coadiutores tpales admittendi.

4 In admittendis vero temporalibus Coadiutoribus, circa eorum qualitates, & numerum, seruent diligenter Prouinciales, quæ præscribuntur in Cõstitutionibus p.1.c.2.§.2. & A. Animaduertant pręterea, magnã cautionem adhibendam esse in ijs ad hunc gradum admittendis, qui aliquem in literis progressum fecerint, vel qui milites fuerint, vel qui speciem nobilitatis, vel consanguineos nobiles

les

les habeant, vel dominis secularibus in delicatis ministeriis inseruierint. Præterea non esse admittendos homines plane rudes, & disciplinæ incapaces; cum ad ministeria Societatis melius obeunda, & ad res spirituales percipiendas bonæ capacitatis eos esse oporteat; cuiusmodi esse solent qui legere, & scribere norunt, vel artificium aliquod habent. Postquam autem admissi fuerint, inculcēt sæpius, & diserte (quod & antea in eorum admissione factum supponitur) eorum vocationem esse, subleuare suis corporalibus laboribus eos, qui in vinea Domini in alijs functionibus occupati laborant. Circa eos vero, præsertim dum in Nouitiatu sunt, diligens opera Magistri exercenda est, vt instituantur in externa, & religiosa politia, in modestia, & modo decenti agendi, præsertim cum externis, & similibus.

De quibus instruendi

Qñ e Nouitiatu educendi.

5 Vt scholastici e Nouitiatu educendi non sunt, nisi biennium absoluerint; ita nulla ratione Coadiutores temporales e Nouitiatu extrahendi sunt, nisi per annum integrum in eo fuerint, & bene satisfecerint. In Collegiis vero, donec biennium absoluerint, aliquem quasi Magistrum in exercitationibus spiritualibus habeant; & cum ad vota simplicia sunt admittendi, saltem per mensem ad Nouitiatum reuocentur, si commode fieri poterit, & non obstet loci distantia, alioqui in eodē loco

Cum vota facturi.

vbi

vbi ſunt, per idem tempus ſe colligant, & ad vota præparent. Nullo autem modo permittant Prouinciales, vt ante finitum biennium in publicis Æditui, Ianitoris, & ſimilibus officiis, in quibus cum externis agitur, exponantur.

In publicis officiis ne occupẽtur

6 Curent etiam, vt eorum bona, qui in Societatem ingrediuntur, integra, vt ipſi attulerunt, ad finem biennii ſeruentur, ſi ſeruari tamen poſſunt: ne illis diuenditis, aut conſumptis, eorum dimiſſio, ſi neceſſaria fuerit, difficilior reddatur. Neque toto hoc tempore quicquam exigatur in vſum Collegii, vel Domus Societatis ab eorum tutoribus, aut parentibus, quamdiu non ſunt ſcholaſtici approbati; vt cum maiori libertate in Domino poſſint iuuari, & corrigi, cum oportuerit.

Eorũ bona vſque ad finẽ biennii ſeruentur.

7 Cum vero e Nouitiatu ſcholaſtici educuntur, vt ad ſtudia mittantur, præmonendi ſunt a Nouitiorum Magiſtro, non mitti eos ad laxiorem vitam, ſed vt per ſtudia fiant aptiora inſtrumenta ad Dei gloriam, & ſalutem proximorum procurandam; ac proinde ita debere ſtudiis inuigilare, vt ſpiritus minime refrigeſcat.

De quibus monendi cũ ad Collegia mittuntur.

NO-

NONA INSTRVCTIO

PRO SCHOLASTICIS SOCIETATIS.

Solicita & studiosa scholasticorũ educatio.

1 BONA scholasticorum Societatis educatio magni momenti semper visa est; cum ex iis postea tum professi, tum etiã operarii proficiscantur. Designandi sunt igitur illis non solum ii Superiores, qui eos in via Domini, & religiosa perfectione probe instruant; sed boni etiam Confessarii, & Præfecti rerum spiritualium, qui suo munere bene,& exacte fungantur. Quin etiam eos præceptores vt habeant curandum est, qui non solum doctrinæ studiis eos excolant; sed bono etiam exemplo ad virtutem incitent.

2 Vigilent itaque Superiores ne assuescãt scho-

ſcholaſtici nimis colloqui cum externis, aut amicis, & cum illis familiaritates habere, apud eos prandere, literas, vel munera dare, & accipere, niſi neceſſitas, aut recta ratio aliud ſuadeat. conſtat enim his omnibus, & ſimilibus ſpiritum in noſtris grauiter lædi, & religioſæ perfectionis feruorem intepeſcere.

Ne cũ externis occupentur.

3 Multo minus permittendum eſt, vt ſcholaſtici Patres antiquiores nimis familiares, ac veluti patronos apud Superiores habeant. & ſeniores ipſi moneantur, vt ab huiuſmodi patrocinijs; tam ſcholaſticorum, quàm aliorum e noſtris quorumcumque ſibi temperent, iuxta ea, quæ de vitandis huiuſmodi interceſſionibus præſcripta ſunt.

Patrocinijs ne foueantur.

4 Proderit autem ad ſcholaſticorum ſpiritualem profectum, veterem mortificationum conſuetudinem tempore vacationum excitare, propoſitis in hunc finem in tabella mortificationum capitibus. Quin etiam expedire omnino videtur, vt qui in ſpiritu nimis relaxati videntur, quo in eis ſpiritualis feruor excitetur, ad has, & exercitia etiam ſpiritualia ſuauiter, omnino tamen inducantur. Immo vero hi, quando opus eſſe iudicabitur, a ſtudijs ad tempus, vel etiam ſimpliciter amouendi ſunt, vt melius in ſpiritu proficiant, & in virtutibus ſolidentur.

Mortificationũ vſus in vacationibus.

Quõ tepidiores iuuandi.

5 Nec minus operæ ponendum eſt a Superioribus, vt ſcholaſtici noſtri eam indiffe-

Indifferentiæ aſſueſcere diſcant.

rentiam assequantur, iuxta regulam 31. Summarij, vt scilicet a Superioribus se regi sinant, nec sint soliciti, quid peractis studijs, & tertio probationis anno, sint facturi: solet enim plerumque euenire, vt si aliter contingat, quam animo conceperunt, non sine magna molestia, & spiritus iactura, perturbentur.

DE-

DECIMA INSTRVCTIO DE PROMOVENDIS AD ORDINES SACROS.

Quænam requirantur, & spectari debeant in nostris, qui ad sacros Ordines promouendi sunt.

A R. P. N. Euerardo Mercuriano Præposito Generali tradita anno 1576.

1 VT ætate sit, quam in singulis sacris Ordinibus requirit Concilium Tridentinum. — Aetas.

2 Vt naturali iudicio, & prudentia valeat. — Iudicium.

3 Vt linguam Latinam teneat, & bene lege- — Latina lingua.

legere, ac pronunciare sciat.

In casibus versatus.

4 Vt in studijs literarum, saltem in Casibus conscientiæ, diligenter versatus sit; ita vt cum ad Sacerdotium promouetur, fructuose confessiones audire possit.

In spiritu ac morib' probatus.

5 Vt iis moribus, spiritu, ac vita religiosa, & exemplari, præsertim autem resignatione, & humilitate sit præditus, quæ ad tantum ministerium obeundum sunt necessaria.

Nonnisi post quinquenniũ a votis emissis.

6 Vt consueta Societatis vota emiserit, & quinquennium saltem in Societate exegerit, priusquam ad sacros Ordines promoueatur.

Ad Doctrinam Xpĩanam docẽdã idone'.

7 Vt ad docendum Doctrinam Christianam pueros, ac rudiores personas idoneus sit, & in ratione Missæ dicendæ, & in cæremonijs bene instructus, iuxta Constitutiones.

Facultas Prouinciali datur.

Hæc omnia Prouincialis, consilio suorum Consultorum adhibito, perpendet. quæ si inuenerit, facultatem poterit suis concedere, vt promoueantur ad omnes sacros ordines. & vbi promoti fuerint, certiorem faciat Generalem.

VNDECIMA

INSTRVCTIO

DE RATIONE PERAGENDI TERTIVM ANNVM PROBATIONIS.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali tradita anno 1592.

Et in Deputatione, quæ de renouatione ſpiritus habita eſt in V. Congregatione, recognita.

1 ETSI ex aliquot Conſtitutionum locis, quæ de probatione tertii anni loquuntur, conſtare ferme poterat, quis in ea ordo, quæue formula tenenda eſſet;

Cauſæ huius inſtructionis.

esset; tamen quia nonnulla subinde in hac materia ex varijs Prouincijs magis particularia a nobis quæsita sunt, vt in ea parte & maior lux habeatur, & vniformitas seruetur, ea omnia, quæ ad hanc rem pertinere visa sunt, clarius adnotanda putauimus.

2 In primis igitur Prouinciales, & Superiores, ad quos id spectabit, debebunt rem hanc magnopere cordi habere, vtpote quam non solum Constitutiones nostræ, & recens Gregorij XIII. Bulla, sed etiam ingens vtilitas, ac necessitas adeo commendant. Nam cum fere accidat, quæ nostra est fragilitas, vt literariæ sine intermissione tot annorum, tamque intensæ intellectus occupationes vigorẽ spiritus hebetent, affectum deprimant, minusq. hominem sibi vacare permittant; timendum est, ne & ipsi ad perfectionem, quo decet feruore, ac diligentia, non aspiremus: & doctrina, cæterorumq. talentorum præsidia, quasi vi sua destituta, imbecilla reddantur, & inefficacia in proximorum animis curandis; nec eum fructum ferant, quem, & Christus Dominus expetit, & tot annorum labores iure exigere videntur. Idcirco magna in id cura incumbent Superiores, vt hæc (quemadmodum eam Constitutiones vocant) affectus schola magno studio ab omnibus suscipiatur, & æquali diligentia, ac feruore deinceps excolatur: illud solerter præcauen-

Huius probationis necessitas & vtilitas.

Superioribus comẽdatur executio.

cauentes, ne externa quadam mortificationis specie contenti, solidarum virtutum lucra minus curent, cum summo totius Societatis detrimento, & salutis animarum iactura. Quocirca illud ne ex animo deponant, hanc tertiam probationem, vt omnium vltimam, quæ a Constitutionibus præscribuntur, tanti momenti esse, vt qui in ea suis maioribus nō satisfaciunt, ij perexiguam spem præbeant, fore vt aliquando in tales operarios euadant, quales Societatis institutum requirit. Et ob eam causam vel prorogandæ erunt, atque augendæ probationes, vel certe deliberatio suscipienda, vtrum expediat illos diutius retinere.

Vel proroganda vel augenda probatio.

3 Et vt maiore cum lumine in Domino procedatur, ac vberior fructus ex hac cultura colligatur; Prouincialis, aut Rector Collegii, vnumquemque probandorum, priusquam probationem aggrediantur, serio admonebit de iis omnibus, quæ studiorum tempore in illis obseruata fuerunt emendatione digna; quæ ab eis desiderantur, vt illa cum prouentu corrigantur: tum peculiarem instructionē pro eis paratam, illis exhibebit diligenter considerandam, quo paratiores ad eam probationem se recipiant. Non tamen illis declarabit vlla ratione, quidnam, quo tempore, quoue loco, post exactum huius probationis tempus, sint facturi. Prætera instruet Magistrum No-

De quibus monendi ante tertiā probationem.

Exhibēda illis Instructio.

De eorum qualitatib. monendi instructores.

vitiorum de probandorum conditione, talentis, & qualitatibus aliis, vt melius, ac vtilius eos dirigere, ac iuuare possit.

Quinã ad hanc probationem mittendi.

4 Omnes post absoluta in Societate, iuxta regulas Prouincialis, siue Theologica, siue Casuum conscientiæ studia, non modo, qui ad professionem aliquando edendam idonei iudicantur, sed etiam qui ad Coadiutorum formatorum spiritualium vota erunt admittendi, hunc tertium probationis annum integrum (quod nihilominus tempus prorogari poterit, cum Superiori visum fuerit, propterea quod sibi satisfieri plenius desideret) antequam vllis ministerijs tanquam operarii deputentur, subire debebunt. Neque cum vllo Prouinciales dispensabunt: differre tamẽ poterunt, si grauis aliqua necessitas cogat. ac tum si antea non potuerunt, saltem de dilatione, & dilationis causa Generalem admoneant.

Quõ & qñ differri potest.

Quibus & qñ bienniũ ad repetendum concedatur.

5 Illud etiam curent, vt qui selecti sunt ingenii, & iuxta Constitutiones, ac regulam 52. sui officii, ad studia repetenda idonei, iis biennii tempus, quod illis ad eam repetitionem faciendam conceditur, ante huiusmodi probationem, ne impediatur. Finis vero studiorum, vt e Collegiis educantur, singulis pro Superioris prudentia, & ingeniorum varietate, ac maiore in virtutibus progressu, iuxta Constitutiones statui debebit: sic tamen, vt in

Qñ studia absoluẽda

in ijs, quibus bienniũ ad sua studia repetenda conceditur, non alius suorum studiorum finis esse censeatur, quam ipsemet biennalis repetitionis finis.

6 Antequam autem ad hanc probationẽ mittantur, omnes communiter circa finem studiorum suorum, iuxta Constitutiones, ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promoueri debebunt. Si qui tamen, quia vel nondum maturi, vel minus idonei reperti fuerint, ad probationem ordinibus sacris nondum susceptis, mittentur; ii tempore huiusmodi probationis ordines ne suscipiant; tametsi qui ad Diaconatum promoti iam fuerint, & ob temporis angustiam ad Sacerdotium promoueri non potuerunt, iis ordinis Sacerdotalis susceptio differri non debebit.

Qui & qñ sacris initiandi.

7 Locus huius probationis Domus ipsa probationis Nouitiorum ordinarie esse debet, vel locus aliquis a strepitu remotus, quietusque iuxta nouam instructionem. Ex quo tamen ad alia vicina Societatis loca, probationum causa, sicuti cum cæteris Nouitiis fit, ad breue tempus nonnumquam mitti poterunt, vt ibi similiter, atque in Domo probationis, in humilibus officiis exerceantur; dummodo eorum ratio habeatur, vt bene occupati sint, & non otientur.

8 Quod ad rationem probationis attinet, Constitutiones nostræ id omnino exigunt, vt

hi

In quibus probandi & exercẽdi.

hi exerceãtur in variis rebus, ac probationibus tam spiritualibus, quam corporalibus, quæ ad profectum in humilitate, & abnegationem vniuersi amoris sensualis, voluntatis, & iudicii proprii conferunt: & speciatim in iis, quibus tempore Nouitiatus forsitan perfuncti non essent: immo quamuis perfuncti fuerint, in nonnullis earum, prout personæ, vel temporis ratio ad maiorem Dei gloriam requirere videbitur. Iisdem igitur omnino hi, quibus Nouitii exerceri solent, probationibus exercebuntur, hoc est, sex Societatis experimentis, & aliis similibus iuxta nouitiatus consuetudinem, sumpto exordio a spiritualibus exercitiis in ipso huius probationis initio per integrum mensem. Ad Rectoris autem prudentiam pertinebit, hæc omnia pro ratione virium, ac dispositione personarum sic temperare, vt nulli horum aut grauior exactoris seueritate, aut eiusdem indulgentia remissior fiat disciplina: & illud non ignorare, ad interiora, & cuiusque spiritualem profectum, ac solidarum virtutum adeptionem, tanquam finem præcipuum, ea esse referenda.

Tẽpus orã di quale.

9 Orationis tempus idem habebũt, quod alii Nouitii, tum matutinum, tum pomeridianum; & illud præterea, quod a communibus occupationibus vacuum propria cuique deuotio subministrabit, re cum Superiore communicata: cum is potissimum huius

anni

anni finis sit, vt intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitiis acquirant, quæ in decima part. Constitut. Societatis operariis adeo necessaria esse dicitur. Vbi vero consuetudo esset, vt a prandio Nouitii simul omnes orarent, & hi quidem omnes ad eundem locum tum temporis conuenire debebunt: si cui tamen vtilius id esset separatim, facile concedi posset.

A studiis abstinēdū.

10 A studijs omnino abstinebunt. quare nec noui aliquid videre, nec præterita quidem recognoscere debebunt. Poterunt tamē præter libellos spirituales vsitatos, legere aliquos similes Patres, non eo fine, vt conceptus, aut sententias ad concionandum decerpant, sed vt tantum deuotioni, & spirituali vtilitati seruiant. Quocirca eorum lectionem maxime frequentabunt, qui de rebus spiritualibus accuratius scripserunt, quales sunt Sancti Augustinus, Basilius, Bernardus, & alij, qui in catalogo Magistri Nouitiorum recensentur: quibus addi poterit aliquis paraphrastes in psalmos, qui ad deuotionem promouendam conducat.

Quinam libri spūales legēdi.

Constitutiones & Bullæ.

11 Concedi item illis regulariter debebunt Societatis Constitutiones, Regulæ communes, ac Sacerdotum; Missionum item, & Concionatorum; Bullæ præterea, quæ ad Societatis institutum pertinent, Iulij Tertij, Gregorij Decimitertij, ac quæ contra Apostatas

ſtatas eſt Pij Quinti, Gregorij item Decimiquarti.

Qũo in cõcionib° & confeſſionibus exercendi.

12 Concionibus habendis operam non dabunt; tametſi ad aliquam miſſionem vnius, vel alterius menſis deſtinari poterunt, vt per villas, & pagos doctrinam Chriſtianam tradant, & alia eiuſmodi miniſteria obeant. Præterea qui Sacerdotes ſunt, & in confeſſionibus audiendis nondum erunt exercitati, debebunt in huiuſmodi miniſterio per menſem exerceri, vbi Prouinciali, vel Domus probationis Rectori videbitur; non tamen in Domo profeſſa, aut in Collegijs inter ordinarios Societatis operarios, quia poſt tam breue tempus illos remouere, perturbationem externis, ac forſan alienationes, & ſuſpiciones excitaret. Quæ tamen omnia ſi caueri poſſent, ibidem etiam exerceri in hoc miniſterio illi poterunt.

Ne doceãt in ſcholis.

13 Non docebunt in ſcholis, neque ſuperioribus, neque inferioribus. etſi enim hoc ad quandam mortificationem facit, nimis tamen hominem occupat, nec adeo ſibi vacare ſinit; nec deſunt experimenta, quibus eo anno iuxta Conſtitutiones mortificentur; neque deerit tempus, quo in hoc genere Societati operam ſuam præſtent.

Quibus cũ conuerſandum.

14 Intelligant omnes ſibi non fore liberum colloqui cum noſtris aliunde venientibus, aut alijs externis abſque facultate Magiſtri:

gistri: neque expedire, vt cum omnibus vel Nouitijs, vel veteranis, aut etiam inter se indifferenter agant, aut conuersentur; sed cum ijs tantum, quos Superior cuilibet assignabit, vt molestæ, ac importunæ distractiones, quæ ex huiusmodi congressibus ingenerari solent, deuitentur. Quia tamen conuenit, maiorem his haberi, ac ostendi confidentiam, quam Nouitiis, qui nondum probati, & cogniti sunt; non erit necesse, dum cum externis colloquentur, quempiam illis adesse, & similiter in cæteris huiusmodi.

15 Cum signum datur exeundi vel ad concionem, vel deambulatum, nullus ab accessu cum Nouitiis ad aulam eximatur, vt ibi eis comites assignentur. Et hi quidem bini mitti poterunt, vel inuicem, vel cum Nouitiis sociati; qua tamen in re vtilitatis Nouitiorum ratio præcipue habeatur. Extraordinariis vero diebus deambulatum mitti non debebunt, nisi alicuius peculiaris necessitas id postulauerit.

Qñ exeundum domo erit.

16 In ministerio culinæ, & cæteris corporalibus exercitationibus nihil minus a Nouitijs præstabunt, siue tempus spectes, quo ista facienda sunt, siue occupationis mensuram, quam expleri oportebit. tametsi cum particularibus, vbi iusta minuendi laboris causa id poposcerit, Rector iudicabit, atque etiam disponet, quod magis expedierit. In

In corporalib⁹ exercitiis qũo exercendi.

his

his vero sic se a laico Magistri socio dirigi sinent, sicut ipsimet Nouitij. qui tamen laicus instruendus erit, ne se plus debito alijs in rebus ingerat.

Silentium. 17 Quamuis eis negandum non sit, vt aliqua hora extra eam, quæ communiter ad id conceditur, in horto aliquanto tempore deambulent; singulares tamen incedent, silentiumq. seruabunt, & importunis horis per domum non discurrent, sed in suis cubiculis, locisve designatis se continebunt.

Ab exhortationibus & doctrina Xpiana nõ eximendi. 18 Legent ordine suo ad mensam; & ab exhortationibus, earumq. repetitionibus non eximantur, neque ab ea exercitatione doctrinæ Christianæ, quæ in postrema parte, regul. 76. Magistri Nouitiorum præscribitur; vt magis in eiusmodi praxi exerceantur, & maiorem promptitudinem ad eam edocendam (quod ministerium adeo serio nobis commendatur) sibi comparent, quoadusque eam praxim bene teneant. Explicationi vero, quæ a Magistro per dimidiatam horam præcedentem habetur, tametsi vt intersint, non omnino generaliter obligandi sunt; quia tamen a nonnullis Prouincijs id ipsum postulatur, & res alioqui ad piam exercitationem, & virtutem humilitatis excolendam pertinet; iudicio Prouincialium permittitur, vt illud hac in re statuant, quod in suis Prouincijs expedire consultis Patribus prudentibus cen-

censuerint, & experientia ipsa demonstrarit; ab obligatione autem tonorum, aut similium rerum sicubi est, excipi posse videntur. Demum in omnibus ita Nouitios æmulari studeant, vt illos in cunctis exercitationibus non æquare modo, sed etiam sua promptitudine, ac diligentia superare contendant.

De recreatione.

19 Communem recreationem simul cũ Nouitijs agant, non seorsum ab illis. Ad prçcauenda vero incommoda, quæ suboriri possunt, liberioris conuersationis, ac narrationũ, & collocutionum rerum ad spiritus profectum, & modestiam vel comparandam, vel augendam non pertinentium; serio præmoneantur, adhibeanturq. ad eam rem syndici, ac pœnitentiæ delinquentibus iniungantur, vt dum inter Nouitios ea, quæ pios religiosos decet, loqui assuescunt, deinceps etiam cum extraneis ea colloquia miscere norint, quæ pietatem redoleant, & audientes ædificent.

Magister siue instructor erit eorũ Confessarius.

20 Confitebuntur ordinarie socio Magistri Nouitiorum. Si quis tamen instanter peteret, vt Rectori confiteretur, illum Rector audire poterit. Rationem autem conscientiæ ab eis Prouincialis iuxta officij sui regulam, vel saltem ipse Magister capiet, si Prouincialis impeditus id illi commendarit.

Ratio conscietiæ cui reddenda.

De quibus Prouinciaslis moned*

21 Superiores probationum frequenter suos Prouinciales certiores faciant de statu, & pro-

& profectu eorum, qui in tertia probatione versantur, & quibus medijs ad virtutes promoueantur, quibus item a defectibus emendentur. Et ob eam causam, atque vt fructuosius eos promoueant, sæpe illos interrogent, quomodo in orationis industria, in coercendis affectibus, in superandis difficultatibus, in continua rerum omnium mortificatione, ac demum in spirituali animæ suæ profectu se habeant.

DVODECIMA INSTRVCTIO

PRO IIS, QVI ACTVRI SVNT TERTIVM ANNVM PROBATIONIS.

QVI ad probationem tertij anni destinãtur, diligenter animaduertant oportet hæc, quæ sequuntur, ea magnifaciendo, summiq. momenti esse ducendo ad finem suæ vocationis propositum consequendum.

Notanda quæ sequũtur.

1 In primis hanc tertij anni probationẽ a beat. mem. P. N. Ignatio pluribus in locis Constitutionum, tanquam rem valde proficuam, & ad maiorem in spirituali vita profectum valde necessariam sapienter institutam, & sedulo commendatam fuisse.

Huius probationis commendatio.

2 Deinde nostros omnes, qui post exactũ

 bien-

Ante gradum præcedet probatio.

biennium probationis in ſcholaſticos approbatos admiſſi, ſtudia iam ſua in Societate abſoluerunt; ad hanc tertii anni probationem teneri, antequam ad gradum vlteriorem, ſiue Profeſſorum, ſiue Coadiutorum ſpiritualium admittantur. quod tempus etiam poterit nihilominus prorogari, cum Societas, & Superior plenius ſibi ſatisfieri deſideraret.

Finis hui9 probationis.

3 Porro finem huius probationis eſſe, in plena & abſoluta ſui ipſorum abnegatione, ita ſe cum diuina gratia exercere, & cum eadem impenſe virtutibus Religioſo dignis adipiſcendis incumbere; vt fiat homo in vita ſpirituali perfectus, & ad omne opus bonum inſtructus, atque hac ratione magis idoneum inſtrumentum Societatis ad animas Chriſto lucrifaciendas euadat. Cum enim Societatis inſtitutum reuera homines omnino humiles, & prudentes in Chriſto, ac nedum in literis, ſed multo etiam magis in ſpirituali vitæ perfectione conſpicuos requirat; illa vero cura aſſidua, ac diligentia, quæ per aliquot annos in excolendo intellectu per ſtudia (quæ ſibi totum pene hominem vendicant) ponenda eſt, non ita multum ſpatij prolixioribus meditationibus, & orationibus, aut etiam mortificationibus impendi ſinat, vnde (quæ noſtra eſt infirmitas) facile fieri poſſit, vt quamuis id ſedulo cauendum moneant Conſtitutiones, per illos tamen annos humilitatis,

ac

ac deuotionis feruor nonnihil intepuerit: hinc necessarium omnino iudicauit beatæ mem. B.P. Ignatius, vt absolutis studijs certum aliquod tempus tribueretur, in quo vnusquisque vires spirituales colligeret, atque in virtutum solidarum, & spiritualium rerum studium in schola affectus incumbendo, interioribus se præsidijs, ex quibus efficacia ad exteriora promanat, ad finem sibi propositum communiret.

Media ad hunc finē consequēdum.

4 Cæterum ad hunc finem consequendũ duo hæc potissimum necessaria esse. Primum quidem, vt qui ad hanc probationem mittitur, non inflatus doctrinæ opinione, his præsidijs minime se indigere existimans, annum illum velut perfunctorie transacturus accedat; sed cum magna animi simplicitate, ac humilitate, ardentiq. spiritualis profectus sui desiderio, abiecta etiam omni curiosa solicitudine, quid de se posthac facturi sint Superiores, tanquam si simplex ac feruens Nouitius, tum primum ad Societatis tyrocinium admitteretur, vitam cum cæteris Nouitijs communem agere constituat, ordinemque nouitiatus vniuersum sine vlla exceptione seruare. Denique proponat sibi, omnino abhorrere velle ab omnibus, quæ vitæ spiritualis profectum possint impedire, totisq. viribus ea concupiscere, ac sine vlla excusatione admittere, quæ ad propositum finem consequē-

dum adiutura Superioris iudicio videbuntur; cum præſertim Conſtitutiones noſtræ requirant, vt tertius hic annus in variis probationibus & ſpeciatim in ijs, quæ Nouitiorũ ſunt, quamuis prius illis perfuncti eſſent, ad maiorem Dei gloriam exigatur. Alterum eſt, vt conſtanter in id incumbat, vt quæ animo ſtatuerit, ſtudioſe ac diligenter exequatur, nihil perfectionis prætermittendo, quod diuina gratia conſequi poſſit, in abſoluta omnium Conſtitutionum obſeruatione, noſtriq. inſtituti peculiari ratione adimplenda: eiusq. ſtudium impenſius ſit, quærere in Domino maiorem vbique ſui abnegationem; & continuã in rebus omnibus mortificationem, promptiusq. ea ſuſcipere, a quibus ſenſus magis abhorret. Demum illud præſtare conentur, quod habetur in 5.p.Conſt.c.2.§.1. vt ſcilicet ſtudeant huius vltimæ probationis tempore in ſchola affectus diligentius ſe exercere, & in rebus ſpiritualibus, & corporalibus, quæ ad profectum in humilitate & abnegatione vniuerſi amoris ſenſualis, voluntatis, & iudicij proprij, & ad maiorem cognitionem, & amorem Dei conferunt, inſiſtere; vt cum in ſeipſis profecerint, melius ad profectum ſpiritus alios ad gloriam Dei & Domini noſtri iuuent.

Alacriter incumbãt.

5 Cum vero Conſtitutiones noſtræ hanc vltimam probationem appellent, merito cuiq. illam

illam intranti ſolicitudinem inijcere debet, vt ad quam initio perfectionem acquirendam vocatus eſt, ad eam iam in hac probatione amplectendam, & omni contentione conſectandam deſudet. Iuſtum quidem eſt, vt quẽ a nobis fructum Societas noſtra e tot laboribus, & impendijs noſtra cauſa ſuſceptis, totq. ex adiumentis nobis a primis annis tum in purgando affectu, tum in intellectu excolendo adhibitis exigit, & expectat; ad eum nunc tandem vberem, & copioſum illi reddendũ, hoc vltimæ probationis anno, virili nos animo accingamus; ne iure ſuo, ac merito poſſit, aut nos ingratitudinis redarguere, aut etiam dubitare, quid tandem de eo ſtatuendum ſit, qui poſt tot annos, poſt tot exhibitas occaſiones, & auxilia, non is euadat, qualem inſtituti noſtri ratio, & forma requirunt. Quamobrem quiſque ſerio, ac conſtanter oblatam a Deo ſpiritualis profectus occaſionem arripiat, atque omni induſtria, & alacritate ea ſeruare ſtudeat, quæ de probationibus, & ratione huius tertij anni peragendi præſcripta ſunt; eaq. ſaltem ſingulis menſibus legat, illud diligentiſſime cauens, ne perfunctorie, & quaſi ſuſpenſo animo, ad finem potius huius temporis, quam ad virtutum augmenta, ac ſpiritualia lucra aſpirare videatur.

Quæ obseruanda sunt ijs, qui agunt tertium annum Probationis.

In sex experimẽtis probandi. 1 IN sex Societatis experimentis,& alijs similibus, iuxta Nouitiatus consuetudinem exercebuntur, sumpto initio a spiritualibus exercitijs per integrum mensem.

Orationis tempus. 2 Orationis tempus idem habebũt, quod alij Nouitij, tum matutinum, tum pomeridianum, & illud præterea, quod a communibus occupationibus vacuum propria cuiusque deuotio subministrabit, re cum Superiore cõmunicata: cum is potissimum huius anni finis sit, vt intimam illam familiaritatem cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitijs acquirant, quæ 10. p. Constit. Societatis operarijs adeo necessaria dicitur.

Quinam libri legẽdi. 3 A studijs omnino abstinebunt. quare nec noui aliquid videre, nec præterita quidẽ recognoscere debebunt. Poterunt tamen, præter libellos spirituales vsitatos, legere aliquos similes Patres, non eo fine vt conceptus, aut sententias ad concionandum decerpant, sed vt deuotioni tantum, & spirituali vtilitati seruiant. Quocirca eorum lectionem maxime frequentabunt, qui de rebus spiritualibus accuratius scripserunt; quales sunt Sancti Augustinus, Basilius, Bernardus, & alij, qui in catalogo Magistri Nouitiorum recensentur;

tur; quibus addi poteſt aliquis Paraphraſtes in pſalm. qui ad deuotionem promouendam conducat.

4 Intelligant omnes, ſibi non fore liberum colloqui cum noſtris aliunde venientibus, aut alijs externis, abſque facultate Magiſtri, neque expedire, vt cum omnibus, vel Nouitijs, vel Veteranis, aut etiam inter ſe indifferenter agant, aut conuerſentur; ſed cum ijs tantum, quos Superior cuilibet aſſignabit, vt moleſtæ, ac importunæ diſtractiones, quæ ex huiuſmodi congreſſionibus ingenerari ſolent, deuitentur.

Quibuſcũ loquẽdum & conuerſandum.

5 Cum ſignum datur exeundi vel ad cõcionem, vel deambulatum, nullus ab acceſſu cum Nouitijs ad aulam eximatur, vt ibi eis comites aſſignentur.

Cum erit exeundum

6 In miniſterio culinæ, & cæteris corporalibus exercitationibus, nihil minus a Nouitiis præſtabunt; ſiue tempus ſpectes, quo iſta facienda ſunt, ſiue occupationis menſuram, quam expleri oportebit. In his vero ſic ſe a laico Magiſtri ſocio dirigi ſinent, ſicut ipſimet Nouitij.

In exercitiis corporalibus exercendi.

7 Legent ordine ſuo ad menſam, & ab exhortationibus, earumq. repetitionibus non eximentur, neque ab ea exercitatione Doctrinæ Chriſtianæ, quæ in poſtrema parte regu. 76. Magiſtri Nouitiorum præſcribitur, donec in illa praxi bene ſint inſtructi; ita vt

A lectione & exhortationib⁹ nõ eximẽtur.

magnam promptitudinem ad eam edocendã sibi comparent. Demum in omnibus ita Nouitios æmulari studeant, vt illos in cunctis exercitationibus non æquare modo, sed etiã sua promptitudine, ac diligentia superare contendant.

Recreatio. 8 Communem recreationem simul cum Nouitiis agant, non seorsum ab illis; vt dum inter Nouitios ea, quæ pios religiosos decet, loqui assuescunt, deinceps etiam cum extraneis ea colloquia miscere norint, quæ pietatem redoleant, & audientes ædificent.

Silentium seruãdum. 9 Quamuis eis negandum non sit, vt aliqua hora extra eam, quæ communiter ad id conceditur, in horto aliquanto tempore deambulent, singulares tamen incedent, silentiumq. seruabunt, & importunis horis per domum non discurrent, sed in suis cubiculis, locisve designatis se continebunt.

DECI-

DECIMATERTIA NOVA INSTRVCTIO PRO IIS, QVI SEORSVM ACTVRI SVNT

Tertium Annum Probationis ad Prouincias missa

A R. P. N. Claudio Aquauiua anno 1601.

Initia & progressus tertii anni probationis.

1 ETSI a multis annis, diuina fauente gratia, varijs ordinationibus nostris effectum est, vt tertius annus probationis, ad spirituales nostrorum profectum adeo necessarius, & in Constitutionibus a B. P. N. Ignatio tantopere commendatus, in vsum tandem, & consuetudinē deduceretur: cum tamen vt in cæteris rebus

raro

raro contingit, vt primo ſui ortu perfectionem adipiſcantur; ſic in huius praxi dies oſtendiſſet, viam, & rationem, quam hactenus ſecuti ſumus, non eos in pleriſque fructus parere, quos Conſtitutio ex tam vtili, & tam efficaci auxilio ſibi propoſuit; & nos officij cauſſa, omnesq. adeo communis Societatis boni, diuiniq. honoris ſtudio expetere debemus: eiuſdem muneris noſtri vinculo admoniti, eodemq. ipſo ſtudio incitati animum adiecimus, vt alia quædam adiumenta inueſtigaremus, quæ faciliorem noſtris, fructuoſioremq. redderent hanc probationem. Quorũ quidem executionem, prout his literis ſubijciuntur, cum R.V. quam accuratiſſimè commendemus, maiorem porro in modum, pro ſummo deſiderio noſtro, amplius commendaremus, niſi & res ſatis per ſe loqueretur, & R. V. eius neceſſitatem ex ijs, quæ hactenus experta eſt, facile pro ſua prudentia animaduerſura eſſet.

Ex prima compertũ cõicationẽ cum Nouitiis parum feliciter ſuccedere.

2 Cum ergo re ipſa, vſuq. multis in locis compertum ſit, communicationem eorum, qui tertium annum agunt, cum Nouitijs, parum ad eum finem conducere, qui propoſitus illis eſſe debet; tum ob exercitiorum diſſimilitudinem, quod alia alijs conueniant, eaque vtrorumuis propria & peculiaria potius quam communia, tum ob diſcrepantem conuerſandi, agendiq. rationem,

nem, quæ in antiquioribus longe diuersa cernitur ab ea, quæ in tyronibus, ac Nouitijs esse solet: seiungere autem illos inter se, & per Domos Professas, Collegiaq. distribuere, quod a nonnullis suggerebatur; id non tertiũ probationis annum constituere, sed inanem nudi nominis vmbram sectari esset; re Deo multis precibus commendata, & cum PP. Assistentibus diligenter considerata, expedire visum est, vt separentur illi quidem, secernanturq. a Nouitijs, ita tamen, vt proprium simul a strepitu remotum, quietumq. locum habeant, in quo sub Patris vnius cura, ijsdem, quibus in Domo Probationis consueuerant, exercitijs sine interpellatione dent operam. nisi forte peculiari aliqua de caussa difficilior vspiam, & grauioribus incommodis obnoxia hæc separatio videbitur. Quod vbi accidet, inde nos moneri suo tempore oportebit.

Separatim 3. annum agendi ratio.

Cæterum Instructionem hanc circa eos, qui tertium annum agent, deinceps obseruari placuit.

Quæ seruanda.

3 Vt posita separatione, de qua dictum est, pauciores singulis annis non sint, quam decem aut duodecim. Quod si tot aliquo anno non erunt, vt numerum hunc expleant; coniungi vna poterunt e vicinis prouincijs, locum designando, qui commodissimus eis videatur. Si quando autem contingat, vt ne sic quidem coniunctis prouincijs numerus con-

Non pauciores decem.

Qñ ex proximis prouinciis cõiungendi.

Qñ hæc probatio differenda.

constet; tum ad nos referendum erit, vt dispiciamus, an ad annum vnum, duosve differri debeant, quoad numerus expleatur.

Instructor ex grauioribus Patribus.

4 Superior illorum, seu Magister deligi ex ijs Patribus debet, qui auctoritate valeant, & alias gubernarint; cuiusmodi foret Prouincialis quispiam eo anno, quo interquiescit; aut similis alius, quem magni facturi sint, & a quo regi se facilius patiantur.

Huius autem auctoritas, ac munus erit, ad omnem dubitationem tollendam, quæ illi cum Superioribus Collegii obuenire poterit, non solum spiritualem curam gerere eorum, qui tertio probantur; sed vno verbo, id omne, quod ad eos formandos, instruendosq. in hac probatione pernecesse erit, curare iuxta Instructionem hanc nouam & veterem. Cæterum & si ordinarius Confessarius minime a reseruatis potest absoluere, visum est tamen iustas ob causas ex vi tantum huius nostræ ordinationis Instructori hanc potestatem facere.

Denique quicquid ad disciplinam externã Domus non spectat, curabit Instructor: qui quidem pœnitentias ex deuotione, & alias id genus mortificationis indulgere poterit. Nam illa cum exeundum Domo erit, aut mẽsæ deseruiendum, vt & in regularum obseruãtiam incumbere, eorumq. in ijs errata pœnitentijs corrigere, & ijs affinia, Rectoris, aut Mi-

Ministri intererit Instructore consulto.

5 Exhortationes, quæ ad eos habebuntur, similes earum non sint, quæ ad Nouitios haberi solent; sed magis ad eorum captũ accommodatæ, in quibus de perfectione, oratione, Instituto, zelo animarum, ministerijs erga proximos tractetur. Idemq. iudicium est Conferentiarum. Vbi vero propter exiguum numerum in separata Domo non erũt; tum nihilominus apud paucos illos priuatim sermo subinde aliquis, & Conferentia instituatur de re illis propria & apposita, vt dictum est.

Genus exhortationum.

6 Pro explicatione doctrinæ Christianæ, in qua exerceri Nouitij solent, vtilior & congruentior erit alia quæpiam exercitatio, in qua de ijs agatur, quæ illorum statui magis conueniunt (quamuis Instructoris erit videre, an semel atque iterum in anno simul omnes expediat in illa informari, vt parati ab ea esse possint ad missiones faciendas) cuiusmodi est primo Directorium, & modus tradendi exercitia spiritualia, prolatis in medium dubiis, & obseruationibus practicis. 2. modus iuuandi cum fructu animas, vt a peccato reuocentur, differendo de industriis P. Polanci, & aliis id genus. 3. modus adiuuandi eos, qui moriuntur, collationesq. de instituto, & Constitutionibus, ex iis nimirum partibus, quæ ad virtutes, missiones, auxiliumq. animarum

Quænam exercitatio loco doctrinæ.

marum ſpectant: & de regulis Sacerdotum, Confeſſariorum, Concionatorum, miſſionũ, ac ſimilibus. 4. conferet etiam ad excitandam maiorem reuerentiam, affectumq. erga Sanctiſſimum Miſſæ ſacrificium, ſi præmiſſa lectione opuſculi Sancti Bonauenturæ de cæremoniis Miſſæ, aut membri alicuius Gabrielis in Canonem, ad pietatis, deuotionisq. ſenſum accommodati, aut aliorum denique eiuſmodi tractatuum; de nonnullis poſtea capitibus inter ſe tractent, quæ ad animum inflammandum, actionemq. in tanti myſterij celebratione rite componendam vim habeant.

Exhortationes ab ijſdem de virtutum praxi habendæ.

7 Non abs re forſitan erit, ſi practicas interdum de aliqua virtute exhortationes habere iubeantur, vt de Obedientia, humilitate, paupertate, fraterna caritate, oratione, ac cæteris, & in his ſuos potius conceptus, ac ſenſus exprimant, quos Dominus ipſis communicarit, tanquam ad promouendum ſpiritum efficaces, quam aliud quippiam ad concionũ morem meditatum & compoſitum.

Quæ memoriæ mãdanda.

8 Quo tempore a Nouitiis exerceri memoria ſolet, iuuabit, vt & ipſi aliquid ſimiliter per ſemihoram ediſcant, veluti pſalmos, quorum memoria multis nominibus vtilior eſt, quam prima fronte videri poſſit; & Epiſtolas D. Pauli, atque his finitis, nonnullos ex minoribus Prophetis, reddentq. exigenti.

9 Exer-

9 Exercitia corporalia valde moderata ſint, & non qualia Nouitiorum, eademq. ad mortificationem potius, mentaliumq. auocationem, quam ad defatigationem apposita. Tametsi vilia indumenta, & aliæ id genus mortificationes prætermitti non debent. Corporalis vero exercitationis tempus Instructoris prudentiæ permittitur: & mitti quidem interdum poterunt recreandi animi gratia ad vineam, aut ad prædium aliquod ſingulis quibusq. menſibus; & quidem ſæpius, ſi Prouincialis expedire iudicauerit. Ceterum de hebdomadaria recreatione ſeruetur regula 62. Magiſtri Nouitiorum.

Corporalia exercitia.

10 Ad vitandum in cubiculis otium, & vt cum fructu tempus exigant, diſtinctas habeant horas & ſpatia vtilis cuiuſpiam lectionis SS. Patrum, meditationis, orationis vocalis: vtanturq. omnino examine particulari non ſolum ad vitia extirpanda, verum etiam ad vſum & confectationem virtutum.

Temp' lectionis & meditationis.

11 Nec ſcribant, nec accipiant literas officioſas; multo minus de rebus nouis vllā in partem: ſed cū alicuius momenti negotium erit, diſpiciet ſuperior (is autem erit Instructor, penes quem ad hunc effectum ſigillum erit) an literas reddi conueniat, aut reſponderi. Quod ſane plurimum intereſt, ac ſupra quam multi fortaſſe ſentiant, vt ſoli Deo, & ſibi, quod longe vtiliſſimum erit, vacare aſſueſcāt.

De literis ſcribendis

Indifferentię studeāt

12 Caueant, ne vlla ratione scire satagāt, aut diuinare, quid ipsis peracto tertio anno futurum sit, & qua in re Superiores occupare illos statuant: sed cum indifferentia obedientiæ nutum præstolentur. Consultores autem, alijve Patres, quicumque in ea re occasionem ipsis præbuerint, tanquam auctores maioris opinione sua mali, serio moneantur.

Legāt instructionē

13 Legant accurate, ac sæpius, vt in praxim referant, Instructionem pro ipsis factam, & excusam.

Conferentiæ de casibus.

14 Sub tempus missionum, ne imparati ad eas proficiscantur, fiant per mensis vnius spatium Conferentiæ de nonnullis conscientiæ casibus magis necessarijs.

Prouincialis visitet.

15 Prouincialis crebro illos visitet, moneat, consoletur.

Educendi qui nō proficiunt.

16 Aduigilet, vt mature eos educat, qui in hac probatione non proficiunt, vt eam optare discant, agnoscantq. quantum ipsis officiat, quod eam recte non obeant.

De singulis a Prouinciali & instructore scribendum.

17 Prouincialis, & Magister ad Generalem scribant, quomodo eorum singuli se gerant. Ac ne, cum informandi pro gradu tempus aduenerit, scribantur deinceps, vt fieri solet, quæ auditione tantum accepta sint, aut quæ tenui, & parum certa opinione nitantur; teneantur in posterum Magister Nouitiorū, Minister, & Consultores distincte scribere ad

Pro-

Prouincialem, quomodo, & quibus in rebus bene, aut male se gesserint. Deinde Prouincialis omnia secreto in libro annotet, quēadmodum in literarum examine mos est, vt certiora de singulis suo tempore ad Generalem referat.

Prouinciales a quib. informandus.

18 Procuretur in hunc finem librorum spiritualium copia, vt in adiuncto seorsim folio significabitur.

Copia librorũ sup petat.

19 Vbi propter exiguum numerum separari non poterunt, caueant Magistri, ne illos pro Conuentualibus habere, aut apud Nouitios famam illorum minuere videantur, prudenter examinando, & diiudicando, quæ de illis deferuntur.

Vbi separari non poterunt.

20 Necessarium duximus non solum renouare ordinationem ad Prouinciales missam, de non differendo, peractis studiis, tertio anno probationis; sed omnino etiam prohibere, ne, cum necessitate ducti eum differen, vltra anni spatium differre possint, nobis inconsultis. Curabunt autem ad extremum Prouinciales, vt primo quoque tempore catalogum ad nos mittant eorum, qui tertium annum in prouincia non egerunt, & quamdudum singuli studiorum suorum cursum absoluerint.

Dilatio huius probationis.

Libri pro ijs, qui in tertio Probationis anno versantur.

PRÆTER eos, qui in regulis Magistri Nouitiorum habentur, vt dicitur in ratione peragendi tertij anni §. 9. addi poterunt alii ex iis, qui habentur in regulis Præfecti lectorum ad mensam. Adhuc etiam integra opera S. Basilii, S. Gregorii Papæ, & Vgonis de Sancto Victore, quorum aliqua tantum in dictis regulis habentur.

Ex sanctis Patribus.

Addi item possunt opera Gulielmi Parisiensis, Gersonis Cancellarii, Climaci, Sancti Leonis, & Ludouici Granatensis.

Ex nostris.

Ex nostris Hieronymus Platus de bono status religiosi, Bernardinus Rosignolius, Franciscus Arias, Meditationes etiam P. Natalis, Vincentii Bruni, Costeri, Loartis, Ritii, Pinelli, Capillæ, & alia huiusmodi, præsertim ex nostra Societate, ac opuscula Didaci Stellæ, & Didaci Perez auertimenti spirituali.

Ex historicis.

Ex historicis, Palladius, Theodoretus, Speculum exemplorum, Cæsarius, Chronicæ S. Dominici, & S. Francisci, speculum

Vin-

Vincentij Belluacensis, Sancti Antonini historiæ, Maruli exempla, Giardino d'essempi di Razzi, & Maffæi vitæ Confessorum.

Scripturæ interpretes aliquot, vt opera omnia Titelmanni, Iansenii, & Maldonati.

Ex Interpretibus Scripturæ.

Omnia autem huiusmodi arbitrio Instructoris habebunt.

Omnia arbitrio Instructoris.

DECIMAQVARTA INSTRVCTIO
PRO COADIVTORIBVS TEMPORALIBVS SOCIETATIS.

Ex deputatione, quæ de illis bene instituendis habita est in V. Congregatione Generali.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali iuxta eiusdem Congreg. decretum 98. recognita.

Conseruandi & fouendi in spiritu.

1 CIRCA spiritualem Coadiutorum temporalium profectum, non tantum in Nouitiatu, vt dictum est, vigilandum est a Superioribus; sed multo

multo magis curandum eſt, vt poſtquam e Nouitiatu educti fuerint, & Vota poſt biennium emiſerint, ſpiritum, quem probationis tempore acquiſierant, diligenti cura conſeruent. Quare non ſinantur ſuo more, aut arbitrio viuere, ſed eos rerum ſpiritualium Præfecti, & ipſi etiam Superiores frequenter alloquantur, nouos præſertim, & qui infirmiores ſunt, & hoc cum tempore recreationis aliquando, tum vero ſeparatim, ſemel ſaltem in hebdomada, conſolando eos, & inſtituendo in iis, quæ ad ipſorum ſtatum pertinent; capita meditationis ſuggerendo, modum, ac fructum orationis exigendo, & tandem dirigendo, vbi opus fuerit.

Frequens Superiorũ & Præfecti alloquutio

2 Loco inſtructionis Doctrinæ Chriſtianæ, quæ extra Nouitiatum ad Coadiutores haberi ſolet, ſi ſatis in ea inſtructi exiſtimentur, inſtituatur ſingulis hebdomadis ſpirituale colloquium, ſeu conferentiæ de rebus ad eorum exercitia, & captum accommodatis. Quo tempore curandum erit, vt intelligant, quæ in ſæculo vilia, aut etiam ſeruilia iudicantur, ea magni momenti, Deoq. valde cara eſſe in Religione; quandoquidem propter diuinum eius amorem, & reuerentiam fiunt; nec ſolum mercedem illorum operum ipſos conſequi, ſed participes etiam eſſe cæterorum omnium bonorum operum, quæ diuina bonitas per noſtram Societatem operari dignatur;

De quibus ſingulis hebdomadis inſtruẽdi.

tur; ſicut etiam omnium Indulgentiarum,& ſpiritualium gratiarum, quas cæteri conſequuntur. Plurimum autem conferet, id a Superiore ipſo præſtari, ad quem hæc cura maxime pertinet. hoc enim officio ſibi eos Superior deuinciet, dum ſe illos peculiari ſolicitudine complecti, & excolere oſtendit, & ipſi viciſſim aperte videant, ſe a Superioribus minime negligi.

Quinã ſine ſocio incedere poſſint.

3 Quoniam multa poſſent euenire incõmoda, ſi facile Coadiutores ſoli permitterentur incedere; expedit omnino, vt quantum fieri poterit, ſemper comitati incedant: ſi qui autem ob neceſſitates ſoli egredi permittuntur, ij maturi, & graues ſint, & tales, a quibus nihil incommodi merito timeatur. Socij autem Procuratorum, & Emptores, præterquam in iis, quæ ſunt officij eorum propria, ſoli non eant; fœminas vero nulli ſoli adire permittantur. Si quando autem aliquid periculi timeretur, matura mutatione prouideatur.

Quales ad agros mittendi, & ſoli pernoctare non permittãtur.

4 Qui ad Vineas, agroſq. procurandos mittuntur, ſint ex ijs, qui magis in ſpiritu, & religioſa diſciplina profeciſſe cognoſcentur; neque vnquam ſoli in eiuſmodi locis morentur, aut certe pernoctent, & quam minimum fieri poteſt in illis permaneant. Quod ſi diutius, aut longius eos abeſſe oporteat, mutentur nonnunquam, aut identidem ad Collegium

gium reuertantur, vt in vtroque homine reficiantur. Ea vero, quæ per externos in his locis curari possunt, ad ea nostri ne adhibeãtur.

5 Vt quiete iuxta suam vocationem in Domo Dei laborent, seuere caueant Superiores, ne in suis ministeriis a cęteris contemnantur: neque officia, quæ pro Dei amore exercent, illis a quopiam tanquam vilia, & seruilia obiiciantur. Præterea expedit, vt peritis in sua cuique arte credatur, nec facile illis etiam studio mortificationis contradicatur. & tandem ad eam etiam pacem, & tranquillitatem conseruandam plurimum faciet, si a Ministris nimiũ aliquando non vrgeantur.

Ne contẽptui habeantur.

Peritis in arte credẽdum.

A Ministro non supra modum vrgendi.

DECIMAQVINTA INSTRVCTIO PRO ANNVIS LITERIS SOCIETATIS

Quemadmodum earum argumenta colligi, & mitti debeant e singulis Prouincijs.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali tradita anno 1594.

Exacte seruāda quæ in formula præscribuntur.

1 QVONIAM Annuæ literæ magni sunt momenti ad alendam in Societate animorum coniunctionem, nec non ad consolationem præsentium, & posterorum documentum; Prouincialibus, ac Superioribus localibus apprime commendatum

datum esse volumus, vt quæ hac de re præcipiunturin formula scribendi c. 2. de literis Annuis, exacte obseruentur, nec inter postrema, & leuia reijciatur cura punctorum colligendorum pro Annalium materia: quin potius studium, & diligentia non modica in eo ponatur.

2 Designandus igitur erit in quolibet Collegio, seu Domo aliquis e Nostris grauior, & diligens inuestigator rerum notabilium, quæ per dies occurrunt; qui eas in aliquo Diario excipiat, & totius negotij curam complectatur. In Collegijs vero numerosioribus, si opus fuerit, frater aliquis ad eum iuuandum adiungi poterit.

Designandus pater qui excipiat.

3 Is habeat indicem eorum, qui vel officio, vel consuetudine secularium, vel quauis alia ratione videntur apti. hos tertio quoque mense adeat, & relicta schedula in memoriæ subsidium, commonefaciat, vt cogitent, vtrũ illo trimestri aliquid intellexerint non indignum Annalibus: & certo tempore v. g. triduo, deferant ad P. Rectorem enucleate scriptum, & manu sua subscriptum. notet autem, qui se nihil habere dixerint, vt Rectori denunciet. Inter hos præcipue erunt Præfecti scholarum, ecclesiæ, rerum spiritualium, congregationum, & eiusmodi.

Indicẽ eorum habeat &c. Tertio quoque mense adeat.

Poterunt interdum rogari etiam alij præter istos, prælertim qui migraturi sunt ex eo

do-

domicilio. Rectori quoque in memoriam reuocetur, vt cum itur in Missiones, vel reditur, scribi iubeat, quæ ad ædificationem pertinent.

Rectori & Prouinciali recognoscenda vniuersa.

4 Vniuersa hæc puncta Rector iuxta suam regulam statim, atque traduntur, recognoscat; nihilque, quod quemquam offendat, in illis relinquatur; sed si aliqua circunstantia enucleanda fuerit, aut aliquid dubium confirmandum, recenti re, quod facilius est, perficiatur. quod idem a P. Prouinciali præstandum erit, antequam puncta Romam transmittantur. Re cum Præpositis localibus, vbi opus fuerit, transacta, & ita re cognita, poterunt etiam in propria Prouincia legi. Quod si quisquam e nostris impensius laudaretur, ea literarum pars, vbi ille est, non erit legenda. Curandum vero illud etiam diligēter, vt Romam statuto tempore mittantur, ne propter moram transmissionis, Annuarum scriptio retardetur.

Asseruāda in prouinciis quæ Romam mittūtur.

5 Apud singulas Prouincias conseruanda perpetuo sunt puncta, seu Annuæ ipsæ integræ literæ, quæ ad Generalem mittuntur: apud singulas Domos, & Collegia, quæ sunt propria illorum, & ad Prouincialem diriguntur. ipsæ vero pagellæ originales, vel rescriptæ, simul assutæ custodiantur, donec Annuæ generales Societatis in lucem prodierint.

6 Illud etiam, quod alias præscripsimus,

curan-

curandum, vt ex Annuis, quæ ad ſingulas Prouincias mittuntur, exemplum vnum in Archiuio cuiuſque Domus, & Collegij perpetuo aſſeruetur.

Annuæ Romã miſſæ ĩ Archiuio aſſeruẽtur

7 Ad ſequentes vero formulæ paragraphos hæc viſa ſunt adnotanda.

8 Ad §.27. Cauendum omnino, vt quæ ad Confeſſionis Sacramentum ſpectant, quod ſæpe alias monuimus, nulla ratione attingantur: reticeantur etiam, quæ alia quacunque ratione ſecretum poſtulant, & ex quorum narratione iure offendi quiſquam poſſet.

Quæ reticenda.

9 Ad §.28. Sacerdotes, Scholares, Coadiutores, & Præceptores ſeorſum ſunt numerandi. quod ſi Præceptores inter Sacerdotes, & ſcholaſticos recenſiti ſunt, ſeligantur ab eiſdem, ne bis adijciantur ſummæ capitum, vt ratio conſtet.

Sacerdotes, Scholares, &c. ſeorſim numerandi.

10 Quod ad mortuos attinet, perſcribenda ſunt non modo nomen, cognomen, patria, ætas, ſtatus, munera in Societate obita; verum etiam virtutes, ſi quas habuit eximias; in primis vero ſi quid ab eis profectum eſt laude præcipua dignum; quod tamen ſingularis alicuius facti narratione confirmetur.

Quæ in defunctis animaduertẽda.

11 Ad §.29. Viuentium illa promulgabuntur, quæ in ingreſſu contigerint, & quæ non fuerint propria vnius. De profectu noſtrorum dicetur, ſi in virtute aliqua particulari fuerit eximius, aut ſi ponatur nouum aliquod,

Quę in adhuc ſuperſtitibus.

quod,

quod, & præclarum medium ad illam consequendam adhibitum. Non ponantur aliena, aut nobis valde leuiter annexa, sed vere nostra. Nostra non sunt, quæcumque nostri amici, deuoti, fundatoresve fecerint. quod si hæc etiam pertinere iudicentur ad Nostra, indicetur causa, & connexio, vt poni possint in Annalibus, tanquam necessaria pars, & per quam Annales nostri fiant. Esse quidem poterit aliquid remotum a nobis, sed ita grande, vt, adhibita præmonitione, saltem per nos vindicari ab obliuione debeat: sed hoc perraro accidit.

Vulgaria & quotidiana prætermittenda.

12 *Quæ sunt alicuius momenti*, &c. Vulgaria, & quotidiana prætermittenda; similiter, quæ alicuius momenti non sunt; qualia sunt, annua oratio, quoduis drama datum, quicquid in congregatione peragitur, aut paucorum discipulorum accessus, munus aureorum decem, leuissima pecunia per nos adiecta ad annuos reditus, exædificatum cubiculum, & similia. Non enim per generalia verba describendus est totus ille §. 29. qui capita, de quibus est scribendum, enumerat, sed vno verbo relinquenda omnia minuta, & omnia communia; qualia sunt etiam nonnulla, quæ sunt quidem alicuius momenti, sed quoniam singulis annis reponenda essent, cum perpetuo, & ab omnibus fiant, ideo habenda sunt pro communibus. Pro miraculis non ponenda,

da, quæ non ſint miracula, quæ diligenti inquiſitione adhibita non conſtant moraliter, quæ ad nos non pertinent.

13 Ad §.30. Vitentur exaggerationes rerum, & amplificationes verborum. Periæpe enim ita redundant verba, vt vanitas potius appareat, quam commentarius, aut materia Annalium, in qua ſimplex, & religioſa veritas ſpectanda eſt.

Exaggerationes vitandæ.

14 *Qua etiam de cauſa*, &c. Vehementer commendatur illa ſeparata ſcriptio rerum, quæ ab aliqua Prouincia nunquam omnino præſtita eſt.

Separata ſcriptio rerum.

DECI-

DECIMASEXTA INSTRVCTIO DE LIBRIS ORDINATIONVM

Quinam neceßarij, & qualiter distribuendi in Collegijs, seu Domibus Societatis videantur.

CAP. I.

Primus liber ordinationes maioris momenti continet.

1. PRIMVS liber continebit Ordinationes maioris momenti; & huius fit mentio in Regula 135. Prouincialis, & 16. Rectoris. Diuidetur autem in tres partes. In prima scribētur Ordinationes maioris momenti, & perpetuæ, quæ a Generalibus mittuntur, iuxta Regulam 16. Rectoris. In 2. parte scribentur visita-

Diuiditur in tres partes.

tiones

tiones Collegij a Generali approbatæ; ea, ſcilicet, quæ in illis viſitationibus maioris momenti, & perpetua fuerint, iuxta eandem Regulam 16. In 3. parte ſcribentur eius generis Ordinationes perpetuæ, quas in hoc libro ſcribendas eſſe Regula 135. Prouincialis poſteriori parte exigit; ſiue illæ toti Prouinciæ communes ſint, ſiue vni tantum Collegio, in quo liber eſt, conueniant. Huc etiam ſpectant reſponſa P. Noſtri ad quæſita particularia illius Collegii, vel Prouinciæ, non tamen Procuratorum, ſed alio tempore data.

Secundus liber côtinet reſpôſa Gñaliû ad prouîcias.

2 Secundus liber continebit reſponſa Generalium ad quæſita Prouinciarum, & habebit duas partes. In prima reſponſa Generalium, quæ Prouinciæ illi per Procuratorem, qui tertio quoque anno Romam mittitur, dantur. In 2. parte ſcribentur reſponſa poſt Congregationem Procuratorum, ſiue alias diuerſis Prouincijs data, & communicata, ſiue ad maiorem notitiam, ſiue vt ab omnibus Prouincijs obſeruentur.

Tertius reſolutiones caſuum.

3 Tertius liber continebit reſolutiones caſuum difficiliorum, quæ ex Vrbe accipiuntur.

Quart9 epiſtolas Generalium.

4 Quartus liber erit is, in quo ſcribantur Epiſtolæ PP. Generalium adhortatoriæ, quæ communes toti Societati ab illis ſcribuntur, nec typis euulgantur.

5 Quin-

Quintus ordinationes temporaneas.

5 Quintus liber continebit Ordinationes temporaneas ex Vrbe missas, seu ex visitationibus approbatas, vt habetur Regula 16. Rectoris.

Sextus nomina emittentium vota.

6 Sextus liber habebit nomina eorum, qui emittunt vota solemnia, & vota simplicia in illa Domo, vel Collegio, iuxta Regulam Præpositi 12. & Rectoris 11.

LIBRI

LIBRI ORDINATIONVM eorumq. distributio in Archiuio Prouinciæ, iuxta Regulam 29. Prouincialis.

CAP. II.

1 PRIMVS liber conueniet in 1. & 2. parte cum libro 1. Collegiorum; in 3. vero parte scribentur tantum Ordinationes in 3. parte primi libri Collegiorum expressæ, quæ communes sunt toti Prouinciæ.

Quæ cõtineantur in primo libro Archiuii Prouinciæ.

2 Secundus liber continebit Ordinationes Prouincialium, proprias singulis Collegijs, tam a Generali approbatas, quam cum Generali non communicatas, alicuius tamen momenti, nec temporaneas. Approbatis a Generali adscribetur in margine (Approbatæ) habebit tot partes hic liber secundus, quot loca sunt in Prouincia.

Quæ in secundo.

3 Tertius liber continebit acta Congregationum Prouincialium, cum responsionibus Generalium, & constabit duabus partibus; In 1. parte describentur primum acta omnium Congregationum prouincialium illius Prouinciæ; deinde proposita, tam Congregationis, quam Prouincialis nomine cum

Quæ in tertio.

responsionibus ad illa. 2. pars continebit responsiones diuersis Prouincijs Romæ datas, & omnibus Prouincijs communicatas.

Quæ in reliquis.

4 Quartus liber continebit resolutiones casuum difficiliorum, quæ ex Vrbe dantur.

5 Quintus liber continebit Epistolas Generalium, quæ typis non sunt mandatæ.

6 Sextus liber habebit nomina eorum, qui emittunt vota solemnia, & vota simplicia in illa Prouincia, iuxta Regulam 72. Prouincialis.

7 Septimus liber erit, vbi scribuntur, qui sacris initiantur. qua de re fuit scriptum ad omnes Prouinciales sub primo Decembris 1591.

DECI-

DECIMASEPTIMA INSTRVCTIO PRO VISITANDIS PROVINCIALIBVS

Capita præcipuarum rerum, de quibus ijdem officio functi reddituri sunt rationem.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali ad Prouincias missa anno 1597.

1 VT in re tanti momenti, quæ non parum ad rectam gubernationem conducit, & in Congregatione generali maxime nobis commendata, æquum videtur, si quid a Prouincialibus pec-

Huius ordinationis necessitas.

catum eſt,quod admonitione vel emendatione indigeat,id ad Præpoſitum Generalem referri, vt pro ſua erga Societatem & ſingula eius membra vigilantia & caritate, vt par eſt, reipſa proſpiciat: ita illud in primis cauendum, ne hac occaſione via aperiatur innumeris querelis, & ſubditorum licentiæ,qui quaſi ſuſpenſo animo exiſtiment, abſoluto Prouincialis officio, fore vt reſcindantur, aut certe retractentur quæ circa eos ſtatuta & ordinata fuerant. ex quo fieret, vt debilior obedientia in dies redderetur,dum exiſtimant futurũ vt Superior, ne hac moleſtia grauetur, facile indulgeat,ac neminem contriſtare velit. Quæ ſane res quam pernicioſa futura eſſet Societati & rectæ gubernationi, nemo eſt qui non videat. Ac proinde cui mandata cura hæc fuerit, pro viribus annitendum erit, vt caute omnino ac prudenter ſe gerat in hoc munere obeundo, ita vt nec Superiorum exiſtimationi, famæq. officiat, dum ſubditorum querelis æquo plus tribuit; nec ſuo muneri deſit,dum in erratis Superiorum remiſſe conniuet. Capita autem præcipua, de quibus rationem exiget, hæc fere erunt quæ ſequuntur.

Cautio magnopere adhibẽda.

De quibus reddenda ratio.

1 An viſitauerit ſingulis annis loca Prouinciæ iuxta regulas, & fideliter de omnibus informauerit Generalem.

An viſitauerit.

An ſubditorum querelas de immediatis Superioribus benigne audierit, & localium Supe-

An ſubditorũ querelas audierit.

Superiorum defectus, si quos compererit, correxerit; & tum de ijs, tum de remedio adhibito Præpositum Generalem monuerit.

An acceperit rationem conscientiæ ab omnibus etiam Superioribus, iuxta ipsius regulam & instructionem datam. *An ratione conscientiæ acceperit.*

An diligenter curauerit, ne quid contra puritatem paupertatis irrepat, facile concedendo, vt ab amicis & parentibus accipiant contrà regulam 90. sui officij. *De puritate paupertatis.*

An plures admiserit in Societatem, quam qui necessarij sunt, & eorum habuerit delectum, iuxta Constitutiones & ordinationem datam. *De admittendis.*

An obseruauerit diligenter regulam 41. sui officij, vt scilicet dimitti curauerit eos, qui minus idonei ad nostrum Institutum videbantur. *De dimittendis.*

An absoluta visitatione informationes fecerit, & miserit eorum, qui ad gradus iuxta instructionem promouendi sunt; & similiter suo tempore de idoneis ad gubernandum. *De informationib. ad gradus.*

An curauerit, ne ære alieno grauentur Collegia, præsertim ad fabricas non necessarias iuxta ordinationem. *De ære alieno.*

An curauerit ministeria omnia Societatis iuxta Institutum promouere, operarios idoneos habere, & Missiones facere. *De ministeriis.*

An curauerit Seminaria in Prouincia instituere Sacerdotum, seu Confessariorum, & *De Seminariis instituendis & politica gubernatione.*

Præceptorum, ſeu literarum humaniorum. An periculum fecerit de idoneis ad gubernãdum, & an eos qui actu gubernant, in recta & ſpirituali ratione gubernandi iuxta noſtras Conſtitutiones, non in humana & politica, debite inſtruxerit, atque eos in illa promouere ſtuduerit. An Concionatores iuxta regulas ipſorum exercere curauerit.

De ſtudiis. An ſtudia omnia iuxta rationem ſtudiorũ promouerit.

De ordinationibus. An Ordinationes Generalis Conſultoribus communicauerit. An illos libenter audierit, præſertim Admonitorem, ſeu Socium, & quomodo Ordinationes obſeruentur, fideliter Generalem fecerit certiorem.

Quæ circa praxim ſeruanda. 3 Circa praxim vero hæc videntur obſeruanda. Si is, cui Prouincialis ſui officij rationem redditurus eſt, Viſitator fuerit, ex Inſtructione tum communi, tum etiam particulari ſatis perſpectam habebit Societatis mẽtem, & ex ipſomet Prouincialis officio, vel regulis, quibus id continetur, & ex capitibus, quæ ſupra poſuimus, optime intelliget, circa quæ verſari, & de quibus Præpoſitum Generalem monere debeat.

Si vero fuerit nouus Prouincialis, quoad capita quidem informationum, iis vtetur quæ hic ponuntur; quoad modum vero, hic proculdubio ab eo quo Viſitator vteretur omnino diuerſus eſſe debet: nam cum nec ab

eo

eo Prouincialis, qui officio defunctus est, corrigi debeat, nec quæ ab eo statuta sunt, immutari possint; huc tantum spectabit, vt liquido intelligat, præsertim a Consultoribus Prouincialis, in quibus is errauerit, & de ijs syncere Generalem informet, ita tamen vt antea a Prouinciali, de quo agitur, accipiat rationem eorum, quæ illi obijciuntur.

DECIMAOCTAVA
INSTRVCTIO
PRO CONSVLTORIBVS
CAPITA

De quibus scribent ad Generalem Consultores.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali missa ad Prouincias anno 1597.

1 QVONIAM ad bonam Societatis gubernationem refert plurimum, vt Consultores cũ Præpositorum localium, tum & Prouincialium, plenam & vtilem de gubernatione Superiorum, quorum sunt Consultores, Præposito Generali informationem mittant; atque in ea re experientia hacte-

Necessitas Gñalé informandi.

hactenus nos docuerit a plurimis, non ſine detrimento communis boni, nonnunquam errari: viſum eſt omnino operæ pretium ad eorum inſtructionem capita nonnulla attingere, de quibus ſcribendum ſibi eſſe iuxta formulam ſcribendi, & Conſultorum regulas intelligant. Et quidem ſuper omnia id iuuabit, vt percurrant regulas ſuorum Superiorum diligenter, quas iuxta 14. ſui officij tenere debent, tum ordinationes Generalium, quæ illis communicandæ ſunt, vt non ſemel præſcripſimus; poſtremo vt ad certa quædam capita vniuerſam gubernationem referant, de quibus ſi breuiter & accurate ſcripſerint, omnes neceſſitates Prouinciæ, & vniuerſa illius gubernatio Præpoſito Generali perſpicue conſtabit.

Quæ a conſultoribus legéda

2 Ea autem fere eſſe poſſunt, quæ ſequuntur.

Capita de quib[9] ſcribetur.

Primo, de admittendis in Societate, & inſtruendis in Nouitiatu.

Secundo, de gubernatione ſcholaſticorum noſtrorum.

Tertio, de profectu in ſpiritu; ſtudio orationis & virtutum.

Quarto, de diſciplina domeſtica, obſeruatione votorum & regularum.

Quinto, de literarum ſtudijs, tam quoad noſtros, quam quoad externos.

Sexto,

Sexto, de ministeriis & fructu cum proximis per missiones, conciones, confessiones.

Septimo, de gubernatione Superiorum spirituali, suaui, exacta; vel contra.

Octauo, de rebus temporalibus, reditibus, debitis.

Nono, de Regula 18. Sacerdotum, & de executione eorum, quæ alias circa illam in ordinationibus generalibus, & nunc postremum in literis nostris datis ad Prouinciales 21. Septembris 1606. præscripta sunt.

Decimo, an aliquid scandali & offensionis acciderit; & quid remedij fuerit adhibitum; & quomodo cum externis, præsertim cum Prælatis, & Principibus viris pax & beneuolentia conseruentur.

Quæ in scribendo seruanda videntur.

3 Postremo hæc pauca monendos esse duximus Consultores omnes (quæ non parū prodesse poterunt ad suo munere recte fungendum) primum ne eiusmodi literis, in quibus publica dumtaxat, & quæ ad status suæ prouinciæ, aut Collegij notitiam pertinent, contineri oportet, priuata aut diuersi generis a superiore argumento admisceant: cum de suis, aliisq. si necesse fuerit, separatis ad nos scribere possint. Deinde vt hæ literæ deforis ex nota aliqua in tergo apposita, videlicet C. C. geminata, a Consultoribus conscriptæ esse dignoscantur. Demum

mum vt impigri ad ſcribendum (quamuis a nullo moniti) primo quoque tempore ad nos illas mittant : initio videlicet cuiuſque trimeſtris, quod a Kalendis Ianuarij, Aprilis, Iulij & Octobris ſumet exordium, cum non minus quater in anno ab iis ad nos perſcribi oportere alias præſcripſerimus.

DECI-

DECIMANONA
INSTRVCTIO
DE MODERATIONE
IN DANDIS LITERIS AD GENERALEM ADHIBENDA.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali diuersis subinde temporibus, anno demum 1599. aucta copiosius, ad Prouincias missa.

Causæ huiusmodi instructionis scribendæ.

1 ETSI magna afficior voluptate, si quamsæpissime meorum Patrum, Fratrumq. literas perlegam; estq. pergratum omnes ad me, tanquam ad patrẽ, magna fiducia confugere: tamen, auctis longa die negotijs, auctaq. Dei beneficentia in dies latius Societate, longo iam vsu intelligo, in

in dandis ad nos literis, iuſtam aliquam moderationem eſſe ſtatuendam. Quod ni fiat,in tantam multitudinem, literarum numerus excreſcet; vt, cum ad omnia reſcribendum fuerit, rebus maioribus, & quæ ad Societatem ſpectant vniuerſam, in quibuſque tranſigendis verſari debet Præpoſiti Generalis induſtria, neceſſarium tempus detrahetur; laborq. eorum, qui ſunt a ſecretis,id quod ipſa docet experientia, ita augebitur; vt, quamuis apta deſcriptione operæ ſingulis diſtributæ ſint, & iam pridem eorum auctus ſit numerus, breui tamen impares labori ſuccumbant, neceſſe erit.

2 Quare,re prius bene perpenſa,ſæpiusq. cum PP. Aſſiſtētibus communicata,multisq. precibus Deo commendata, viſum eſt nonnulla, ad hanc rem valde conducentia, omnibus commendare; regulasq. aliquas,& Superiorum temporum ordinationes in memoriam redigere, quæ ſi ſeruentur, ſperandum eſt, commodius Prouincialibus negotiis conſultum iri. Nam ſuperuacuis, & inutilibus reiectis, quæ ſæpe vtilibus, & neceſſarijs officiunt, plus operæ, ac temporis maioribus & vniuerſis Societatis rebus inſumetur. Ita & labor eorum, qui in hoc munere verſantur, alleuabitur, vt pares eſſe poſſint operi; & nihil de eo fructu detrahetur,quem Patres,Fratreſque e literarum communicatione percipiunt,

Aliquæ leges perſcribendæ.

piunt, & optamus omnes.

3 Sed antequam ad rem ipsam veniamus Reuerentiam Vestram admonemus, nostræ voluntatis esse, vt quo tempore nostram hãc sanctionem ac moderationem in dandis ad nos literis Prouinciæ suæ indixerit, simul etiam edicat, nullo modo eam ad id genus literarum pertinere, quæ priuatim suis quisque de rebus subditi nos certiores facere voluerint; integrum esse cuique, quæ ad animi sui fructum, spiritaleq. auxilium, in Domino expedire iudicauerit, ad nos perscribere: me enim magna cum animi mei voluptate cuncta perlecturum.

Nõ extenditur ad priuatas literas.

4 His positis, Reuerentiam Vestram scire oportet, meos prædecessores varias ordinationes præscripsisse de modo, tempore, rebus, de quibus ad Præpositum Generalem literas dare opus sit. Quæ omnes postmodũ in formulam scribendi sunt relatæ. ex quibus seruandis maximam partem pendet ea, quæ in hoc genere moderatio est adhibenda, & quam in primis teneri peroptamus.

Variæ ordinatiões hac de re datæ seruandæ.

5 Quare erit operæ pretium Superiores omnes & Consultores ipsam formulam attente perlegere; eorumq. vnumquemque ea considerare, quæ ad se pertineant. Ita fiet, vt multis literis minus necessarijs supersedeatur. Nam si Superiores locorum de suis rebus, cum suis primum agent Consultoribus; deinde

Formula scribendi seruanda.

de cum Præpositis Prouincialibus, qui ex ipsorum regulis, & forma iis præscripta de rebus ordinariis suæ quisque Prouinciæ statuere poterunt, non magnum erit negotium septimum formulæ paragraphum seruare.

Præsertim paragraphus decimus.

6 Ac si operam dabunt, vt eiusdem formulæ paragraphum decimum obseruent, haud dubie magnus literarum minus necessariarum numerus tolletur. Cum ibi præscribatur, in rebus non vrgentibus ordinarium tempus esse expectandum. Nam in vrgentibus & grauibus omni tempore scribendi paragraphus nonus potestatem facit. Hinc illa etiam vtilitas proficiscetur: nam si Superiores locorum de negotiis rite, & subordinatione seruata, cum suis agent Prouincialibus, rerum administratio melior erit, & facilior, & cum omnium grata voluptate etiam coniunctior. Nam illa scribendi ratio directo & statim ad nos, inconsulto Prouinciali, contra quam præcipit paragraphus decimus, nihil aliud efficit, nisi vt multiplicentur literæ; & constitutio de rebus longius trahatur; cum ad bonarum rerum administrationem oporteat nos, antequam de re quapiam constituamus, Prouincialium de vnaquaque re sententiam exquirere; & singularum rerum statum naturamq. cognoscere, illorum testimonio qui totas Prouincias administrant, & præsentes ipsi totam rem inspiciunt, & quodam modo

Quid in vrgentibus.

Subordinatio cōmendatur.

do manibus pertractant.

Ne de re eadem bis ſcribãt reſponſo nó expectato.

7 Eſt & illud prӕterea notatum, de eadem re ſcribi ſæpius ad nos. quæ res fruſtra numerum auget literarum. Quare monendi ſunt omnes Superiores, tum Conſultores, ne cum de re aliqua ſemel ſcripſerint, de re eadẽ ſcribant iterum, niſi tranſacto. ad reſcribendum tempore, & perferendas ad eos literas conſtituto. Qua in re illud animaduertant oportet: non ſemper ſtatim atque ad nos literæ perlatæ ſunt, facultatem eſſe ad illas reſcribendi. Nam, cum ſua cuique Aſſiſtenti ſtata tempora deſcripta ſint ad agendum; ac ſæpenumero diuerſarum Prouinciarum, atque adeo Aſſiſtentiarum in idem tempus literæ concurrant, niſi ſtatutus ordo teneatur, magna ſequatur confuſio, neceſſe eſt: vt mirum interdum non ſit, ſi quando ſerius aliquanto, quam vellent aliqui, ad eorum literas reſcribatur. atq; ob hãc cauſſam, vt occupationibus conſulatur Præpoſiti Generalis, in formula præſcribitur; vt, cum ad ipſum Prouinciales ſingulis menſibus, Præpoſiti locales ternis ſcribere debeant, Præpoſitus ipſe Generalis ad Prouinciales alternis, ad locales ſenis menſibus reſcribat. Quin etiam experimento ij ſcire poſſunt, crebrius etiam, quam formula præſcribit, eorum literis reſponderi.

Quę in literis ſoli ſcribẽdis ſeruãda ſunt.

8 In literis porro, quæ Soli inſcribuntur, nonnulla peccantur. atque id eo fit, quod non

non omnes sciunt, quæ ratio in ijs literis seruetur. Persæpe enim, quæ iis literis continentur, non eius generis sunt, quæ secreto opus habeant, ita vt non possint cum iis, quibus opus est, communicari: immo vero non raro eiusmodi sunt, vt, nisi cum aliis communicentur, transigi nullo modo possint. ac nulla alia de caussa soli inscribi videantur, nisi tantum vt a nobis legantur. hi si scirent, nos eas quoque literas legere solere, cum præsertim res postulat, quæ illa carent inscriptione, non dubito, quin illa supersederent. Quare opus esset hos huiuscemodi incommodi admonere.

Ne in literis negotiorũ secreta admisceant.

9. Est & alterum in eodem genere incõmodum, quod multi cum de rebus variis ad nos scripserunt, ad eandem epistolam vnum aliquod caput attexunt, quod secretum postulat; & ob hoc vnum caput totam epistolam soli inscribunt. quo fit, vt, cum ipsa epistola, ob secretum, non possit nisi cum P. Secretario communicari (cum quo de more epistolæ, quæ soli inscribuntur, communicandæ sunt) ob illius occupationes negotia reliqua, quæ cum Assistentibus sunt communicanda, transigi maturo tempore non possint. Quare moneantur, vt, cum de rebus scribunt, quæ inscriptionem soli postulant, si de rebus aliis iis scribendum sit, id seorsim faciant alia epistola, ab ea seiuncta, quæ soli in-

 scri-

scribenda est. In ea vero, quæ soli inscribitur non nisi de rebus illis agant, quæ secretum postulant, nec sunt cum aliis communicanda.

Ratio contractus & instrumēti Romā mittenda.

10 Ad hæc, quod ad contractus attinet, contractuumq. instrumenta, cum Romam mittuntur, a tergo membranæ, vel chartæ adscribatur index & summa eorum, quæ continentur. idq. eo magis quod multa tam fedis characteribus descripta mittuntur, vt non nisi magno labore, magna temporis iactura, & ægre intelligantur; ab hominibus præsertim, qui, quibus de rebus illis agatur, ignorant.

Quę inscriptione literarum animaduertēda visa sūt.

11 Literæ, de negotiis præsertim, quæ ad nos scribuntur, detur opera vt bonis, & perspicuis characteribus sint; omissis literarū compendiis, abbreuiationibusq. parum notis. Iustus etiam ad oram exteriorem margo relinquatur, vt indices eorum, quæ intus continentur, foras euocari possint. Et cum varia capita de rebus variis continent, præsertim si vel Superiores, vel Consultores ipsi literas dant, singula quæque capita per paragraphos scribantur; ad initium semper caput reuocando. id enim & ad legendi, & intelligendi, vsum, facilitatemq. apprime conducit, non modo in præsens, quandiu de rebus iis est agendum; sed in posterum etiam tempus, cum ex Archiuio, quod sæpe vsu venit, eiusmodi literæ ad eadem, vel alia similia negotia,

post

post aliquot menses, aut annos sunt proferendæ. Quæ res in tanto scriptorum numero, optimo licet ordine disposita seruentur omnia, nisi his adiumentis alleuetur, laboriosa admodum sit, & impedita.

12 Et tum in his, tum in aliis etiam literis duo illa seruentur, vt & in fine epistolæ cuiusque nomen adscribatur, & cognomen eius qui literas dat (sunt enim, qui pro sua modestia alterutrum omittunt, altero tantum contenti) &, cum dies, qua dantur literæ adscribitur, non a festo tempore illius diei, sed a numero dierum mensis cuiuslibet notetur; vt facilius datarum literarum ratio iniri possit. Denique caueant, ne eodem folio, quo ad nos scribunt, ad obuoluendas epistolas alias vtantur, fit enim plerumque, vt in resignandis fasciculis, pars aliqua literarum vna cum sigillo reuellatur: quæ deinde nullo modo legi possunt.

Nomen & cognomē in calce ad scribãr die nom̄ p̄termisso.

Ne eodem folio, quo scribũt epistolas obuoluant.

13 Illud postremo hoc loco addere perneceſſe fuit, quod abhinc annos quindecim nonnullis prouinciis præscripsimus, ad expensas non exiguas vitandas, quibus vnam pro multis æquo plus grauari interdum contingebat, ex Collegii aut Prouinciæ, ex qua literæ mittuntur, ignoratione; vt curent Superiores omnes singulis literis & fasciculis sui Collegii ac Prouinciæ nomen exterius in fronte imponi. Sic enim antequam vel fasciculi dis-

De Collegii & prouĩciȩ nota in liter. & fasciculis facienda.

dissoluantur, vel aperiantur literæ, vecturæ ratio facile constabit ei, qui exigendi curam gerit, vt suum cuique Prouinciæ vecturæ datum referre possit. Quod si contingat diuersarum Prouinciarum vel literas, vel fasciculos in vnum colligari, necesse erit similiter in externa facie sub illius inscriptione prouinciæ, in qua colligantur, nomen notari: detracto enim superiori fasciculo tegumento, singularum literarum, vel fasciculorum vecturæ ratio distincta constabit ex illarum inscriptionibus: vel certe, quod magis probaremus; in magno fasciculo nomina earum omnium prouinciarum, quarum fasciculo includuntur, exterius adscribi.

VIGESIMA INSTRVCTIO DE PRÆFECTIS SPIRITVALIBVS CONSTITVENDIS, FORMANDISQVE.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali ad Prouincias missa anno 1599.

1 QVANTA in rei spiritualis Præfectura insit vtilitas; quámq. sit munus illud necessarium, non nostræ tantum regulæ, Constitutionesq. docent, sed ipsa etiam ratio persuadet & euincit. Nam cum ad perfectionem nostræ Societatis viros

Huius ordinationis vtilitas.

effingere, formareq. debeamus; consequens est, vt ij quoque, quidquid agunt spirituali ratione atque in Deum caritate illud agant. Hæc nempe vna cura illos ad studium virtutum omnium, ad plenam, absolutamq. sanctitatem assiduis debent stimulis excitare: vt ipsi, & in se & in alijs quam maximum lumē, quam maximum communis Domini amorem prouocent in dies. Præterea cum contineenti ipsi in obedientiæ vsu, religiosæ disciplinæ, spiritualibusq. ad proximos ministerijs versari debeant; nisi normæ diuini spiritus se conforment, soluti, indociles, difficiles, intractabiles, & segnes ad laborem sint necesse est; non secus atque currum aliquem videmus amotis rotis trahi non posse: admotis vero, apteq. collocatis, facile ad quemcumque vsum accommodari. Et quamquam multis iam annis in eam curam incumbimus, Prouincialesq. Præpositos vrgemus, vt rei spiritualis constituant Præfectos, ac Magistros; ipsiq. qui rei magnitudinem intelligūt; maximo opere rem perficere conantur: excusant tamen idoneorum hominum, qui totam rem sustineant, inopiam.

Quales instituti nostri ratio requirit.

Inopiā excusant.

2. Nos quoque persæpe multas in eo genere querelas audiuimus; idq. multo etiam magis perspeximus, cum non ita multo pridem, qui spiritualium rerum statum inspicerent, Inspectores per prouincias dimisissemus.

Experiētiæ defectus cōprobatus.

Ex

Ex quo apparet, multa, & magni momenti in hac ratione desiderari.

3 Re igitur Domino precibus commendata, post multum de ea cum PP. Assistentibus sermonem habitum, sentimus necesse esse peculiarem aliquam curam suscipere: vt magisteria totius huius rationis instituantur. Ingens enim sit error, quemlibet mediocri probitate, mediocri prudentia, recto tantum studio instructum, propensaq. ad virtutem voluntate, ad tantum munus idoneum iudicari. Quod si ad viam spiritualem ineundam, homines aliorum consilio indigent, ac regimine; cum ingens sit eorum periculum, qui perito in eo itinere duce carent: satis constat, eos, qui huic muneri deliguntur, magno ad hanc artem studio, magno lumine, magno rerum vsu, magna præterea lenitate, ac dexteritate, & ad agendum cum alijs comitate, & gratia esse oportere. ad hæc magna propensio, applicatioq. animi, dotesq. aliæ insignes accedant necesse est. Et cum hæc maxime optemus, non tamen ea remedia videmus adhiberi, quæ ad huiusmodi magistrorum copiam parandam, opus sunt.

Quales sint Præfecti spiritus.

4 Præterea cum ad scholas instruendas non maiorum studiorum modo, sed minorũ etiam humanitatis, & grammaticæ, varias artes, exercitationesq. inuenerimus, vt idonea suppetat copia magistrorum; prudentissimus quis-

Vt in literis sic & ĩ spiritu pĩciendo elaborandũ.

quisque optime intelligit, quanto id magisterium maius sit, ac magis necessarium, cum in eo multo minus, quam in altero liceat esse conniuentes. non modo quia nobilius, maiorisq. momenti est; sed etiam quia basis, & fundamentum est alterius. siquidem doctrina a spiritu seiuncta, & Societati, proximisque magis obesse, quam prodesse; & Ecclesiæ sanctæ nulli, aut perexiguo adiumento esse potest.

Quinā ad id mun' eligendi.

5 Quare omnium primum Prouincialis cum suis Consultoribus, alijsq. patribus rerum peritia, spirituq. præditis, re communicata, delectum habeat, eorum, qui præter cæteros idonei iudicabuntur, qui ad id munus destinentur. atque ad id, tamquam a remotiore quodam principio, e iuuenum numero eos designet, qui maiorem ad hoc munus indolem præseferre videbuntur; silentij, & secessus amatores; orationis, & diuinæ contemplationis studiosos; eosq. magistris Nouitiorum socios adiunget, exercebitq. interim in alijs ad spiritualia exercitia erudiendis, deinde ad rem ipsam propius accedens,

Quinam huic mune ri pręficiē di.

eos in præsens huic muneri præficiet, qui statim manus operi possint admouere, maturos senes, quos vel longo gubernandi vsu, vel conciones habendi, aut e cathedra Theologiā præsertim explicandi labore fessos, tamquam ex alto in portum, intermissis exercitationibus,

bus,in hoc tranquillum senectutis otium confugere vtile erit.

6 Neque cuiquam otiosa res videri debet, aut infrugifera, vel si cum aliquo aliorum consiliorum incommodo id fiat, nauum aliquem hominem a ministerijs alijs clarioribus cessare, dum alijs instituendis, iuuandisq. occupatur; immo vero plusquam ceteros efficere certum est. siquidem illorum omnium manibus, qui ab ipso promoti dignos se præbent Societatis administros, operatur.

Opus non contemnédum.

7 His porro concedendum est, vt sanctæ orationi, sanctorum patrum, piorumq. librorum lectioni operæ plus solito impendant. Constitutiones, exercitia B. P. N. eorumq. Directorium habeant sibi familiaria. ad hæc instructiones, industrias, aliaq. monita Præpositorum Generalium optime teneant. Vt cum in sermone, tum in vsu tradendo virtutum, illa in promptu habeant, quæ cum gratia nostræ vocationis sunt coniuncta.

Quibus vacent Præfecti.

8 E sanctis Patribus habeant præ manibus S. Basilij scripta omnia, S. Gregorij moralia, S. Bonauenturæ opuscula; alios præterea Doctores, Gulielmum Parisiensem, eiusq. præcipue tractatus de tentationibus, & resistentijs; de virtutibus, de vitijs & peccatis, de rhetorica diuina, & similia; Gersonem, eiusq. præcipue tractatus. Et e nostris Platum de

Quinam libri legédi.

bono ſtatus religioſi, Roſſigniolum de diſciplina Chriſtiana; tum libros de imitatione Chriſti; Sanctorum vitas: e quibus grauiſſima eliciuntur documenta; opera denique Ludouici *Bloſii* magno eſſe poterunt adiumento, ad varias variorum curandas affectiones. Itaque errorem ponant Superiores, ſiqui aliter exiſtimant; ſibiq. perſuaſum habeant, tum ad idoneam eius doctrinæ cognitionem, quam in huius artis magiſtro ineſſe oportet; tum ad auctoritatem, nomenq. viri vere ſpiritualis obtinendum, maximi eſſe momenti hoc ſtudium: nec ſatis eſſe communem curſum, aut commune hominis cuiuſque ſtudiũ, aut quantulamcumque huius doctrinę cognitionem, qua tinctos eſſe contingat eos, qui hæc aliquando curſim, & quaſi aliud agentes lectitarunt, aut etiam ſubinde meditando volutarunt animo.

Neceſſariũ hoc ſtudiũ.

9 Atque ob hanc cauſſam non debent hi circa externos tamquam ordinariæ operæ occupari: tum quod illa perſæpe occupatio ab opera ſuis præſtanda illos auertit: tum etiam quod re vera mens in duas diuerſas curas cum aliquo diſpendio diſtrahitur.

Nõ ad externos effũndendi.

10 Et quoniam hi rei ſpiritualis magiſtri non doctrina ſolum, & monitis, ſed exemplo etiam & opera eam viam debent ſpiritualem commonſtrare; neque illos decet ſpiritu eſſe

Exẽplares ſint.

he-

heremitico, totosq. vni contemplationi deditos, videndum est, ne ita sint sanctæ quietis, ac secessus amatores, vt proximorum cõsuetudine prorsus abstineant: sed aliquas exercitationes, ministeriaq. laboris quidem, humiliationis, vtilitatisq. maioris, occupationis tamen, & illecebræ minoris assumant; cuiusmodi sunt carcere detentos, hospitalia, ægrotos inuisere, aut breues aliquas subinde obire missiones: sed certis, quibuscum vsum habeant, nullis addicantur pœnitentibus: feminis vero, cum quibus nimium plerumque est negotij, multo minus.

In humilibus se exerceant.

11 In magnis porro Seminarijs, in quibus ad studia aluntur multi, satis constat huiusmodi magistris tantum operæ suppetere, vt aliæ occupationes omnes excludantur: ita vt ne ipsis quidem regendis discipulorum Congregationibus, aut scholarum confessionibus audiendis locus relinquatur. Eritq. id Prouinciali summæ curæ, vt in eiusmodi frequentibus Collegijs homines hac doctrina, & feruore pietatis insignes huic muneri præficiantur: ac si fieri potest, ex ijs, qui aliquando magistri fuerint Nouitiorum, vel in gubernando magni exempli, & spectatæ pietatis fuerint; vel certe in alijs Collegijs id munus cum aliorum probatione sustinuerint. Denique, vti dictum est, præstantissimi cuiusque,

In Seminariis quales præficiẽdi.

iusque, & maximis dotibus instructi præclare stare operam censendum est, vno in hoc munere occupati.

Prouincialis munus.

12 Præfectis ita constitutis, Prouincialis erit cura, inuigilare, eos instruere, rationem ab ijs, inter visitandam Prouinciam, reposcere; ex alijsq. quemadmodum se gerant, cognoscere. multum illis tribuat, multamq. ijs reuerentiam conciliet: mandetq. Consultoribus Collegiorum, vt ad se, quemadmodum in hoc genere procedatur, accurate perscribant.

Quinā scopuli vitādi Superioribus & Præfectis.

13 Omnino duo in hoc genere scopuli vitandi sunt, qui magnæ nonnumquam offensioni esse possunt, quo minus tantæ rei magisterium eum, quem volumus, quemq. res exigit, felicem cursum sortiatur. Alter est temeraria quædam, & inanis Superiorum suspicio, ac prope zelotypia, quasi rei spiritualis Præfectus subditorum animos ad se alliciens, deriuet in se Superioris auctoritatem, eaq. re necessaria membrorum cum suo capite coniunctio sensim soluatur. Alter contra, nequando Præfectus, per caussam consolandi subditos, ad illa se porrigat, quæ sunt regiminis, aut impediat, eleuetve Superioris auctoritatem, id quamuis, ipso inscio, alia ex caussa contingat. Quare magnopere opus est incōmoda hæc anteuertere initio; magnaq. vigi-

lantia

lantia cauere, ne quid eiusmodi subrepat; fines vtrisque constituendo. Siquidem Rectori expedit Præfectum amari, & in honore haberi. sic enim adiumento, & leuamento multis in rebus ipsi erit. Præfecto vicissim proposita in primis esse debet obedientia, & erga Superiorem amor subditorum. ac, si quando hæc aut minui senserit, aut intepescere, se se angelum pacis interponat: hinc deiectos subditorum animos ad perfectionis, mortificationisque studium erigendo, & auctoritatem, bonamque de Superiore opinionem pro viribus tuendo: hinc Superiorem priuatim de rebus illis admonendo, quæ vel expedire, vel impedire iudicauerit.

Quotānis Generalis monendus

14 Optamus præterea a Prouincialibus certiores fieri quotannis quosnam ei muneri in maioribus præsertim Seminarijs, quibusve institutionibus præfecerint; & quemadmodum tota res vsu tractetur, & quo fructu, & quod quisque ad eam rem talentum præferat.

Serio Prouinciali cōmendatur.

15 Et quoniam res est magni momenti, eaque maximopere indigemus, omni quo possum animi affectu Reuerentiæ Vestræ quam accuratissime commendo, vt id totum ita suscipiat, vt existimet ad maximam sui regiminis partem pertinere.

Ita,

Ita, diuina fauente Bonitate, ſpes eſt, multa nobis fore proniora; eoſque nos e noſtris laboribus fructus, quos ad Diuinæ Maieſtatis gloriam optamus, percepturos: a qua copioſam precamur in omnes benedictionem.

VIGE-

VIGESIMAPRIMA

INSTRVCTIO

PRO CONFESSARIIS PRINCIPVM.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali anno 1602. confecta.

Necessitas huius ordinationis.

1 PRINCIPIO statuendum est, quandocumque Societas huiusmodi officia defugere non poterit, eo quod varias ob circunstantias maior Dei D. N. gloria sic exigere videatur, ita demum in deligenda persona, exercendique eius muneris ratione procedendum esse, vt & Princeps inde adiuuetur, & populus ædificetur, & Societas detrimentum non capiat, cum incidant sæpe casus, in quibus præter

præter alia incommoda Societas vnius loci causa, in alijs pluribus non lenia damna sustineat. Quapropter re diuinæ Maiestati plurimis sacrificijs & orationibus commendata, matureq. cum PP. Assistentibus consultata, hæc quæ sequuntur decernenda in Domino censuimus. Quæ si cui forte Principum minus aliquando probarentur, tum illis omni cum modestia & humilitate significandum erit per leges nostras, his solum, & non alijs conditionibus suscipi a nobis id oneris posse. Speramus autem tales fore vt cum religionis commodo & conseruatione, magnam simul omnium ædificationem, Principisq. vtilitatem coniunctam habeant.

Cómoda.

Domi nostræ habitet.

2 Primum confessarius hic in Domo, seu Collegio nostro semper habitare debet, & pro subdito se gerere vt ante solebat, communemq. disciplinam perinde ac cæteri omnes obseruare, nec exemptionem vllam, aut priuilegium hoc nomine habere. Et quamquam varia ob negotia, quæ incidere possunt ad Principem spectantia, & secretum iure postulantia, permitti eis debeat, vt literas, schedasve scribant, vel accipiant tum ab ipso, tum a Secretario, & alijs, quibus Princeps id demandarit, minime tamen propterea existiment generalem sibi factam esse potestatem, vt hac occasione ad nostros, vel ad externos officiales, aliosq. scribant, sed regulam prorsus obseruent,

ſeruent,& Prouincialis ſi quem vſquam abuſum deprehendat, etiam præceptum imponat, regulamq. ad verbum ſeruari iubeat; multoq. minus permittendum eſt, vt accipiant vel retineant pecunias,diſpenſent,dent, vel acceptent munera, quoniam hæc & cætera id genus, quale eſt domo exire abſque facultate,& quolibet pergere pro arbitrio,religionem omnem, ac ſpiritum in ſingulis deſtruunt, nihilq. ad Principis obſequium, rectamq. huius muneris functionem conducunt.

De literis ſcribendis ſeruetur regula ſicut & dãdi & accipiẽdi.

Sine facultate ne egrediatur.

3 Diuerſari, aut pernoctare in aula non poterit, quibus in locis domicilium fuerit Societatis: quin etiam vbi Princeps illum in itineribus, locorumq. mutationibus ſecum manere vellet, a Prouinciali, aut cuius id intererit, facultate obtenta, maior futura eſt ædificatio, ſi procuret vt in aliquo religioſorum conuentu, aut apud honeſtum quempiã Sacerdotem extra aulam commoretur. Tum autem curare ſimul debet, vt ſocium ad ſuam conſolationem, actionumq. ſuarum teſtimonium præſentem ſemper habeat.

In itinere vbi pernoctet.

4 Caueat ne ſe implicet externis negotijs, ac politicis, memor eorum, quæ a V. Congregatione Generali ſeueriſſime præſcribuntur can. 12. & 13. ſed in ea ſolum incumbat quæ ad Principis conſcientiam pertinent, vel ad illam referuntur, aut in alia certa pia

Ne ſe negotiis immiſceat.

M ope-

opera; diligenterq. vitare debet ne aulam nimis frequentet, aut eo non vocatus se conferat, nisi pia aliqua necessitas aut graue quidpiam, quod necessario suggerendum videatur, ire compellat. Interestq. magnopere, vt Princeps ipse alia illi negotia interdicat. Sic enim & maiore cum libertate, atque integritate munus suum obibit, & pœnitens vacuus, ac liber erit a multis molestiis, quas creare solent qui opera Cõfessariorum ad priuata sua commoda vti volunt.

Nihil procuret.

5 Nullo modo suam operam interponat ad compositiones, vt vocant, ineundas, fauoriq. aut muneri conciliando, vel ad gratiam, iustitiamve vlli procurandam, cum talia etiã in casibus licitis scandalo esse soleant, si a Confessario præsertim religioso tractari videantur.

Gubernationi ne se insinuet.

6 Animaduertat, quanto maiori in gratia fuerit apud Principem, ita vt aliqua per illum auctoritate vti possit, ne vnquam propterea verbo, nedum scripto res vllas, aut negotia Principis ministris commendanda suscipiat: sed vbi pia res foret, ac Superioris iudicio necessaria, curet vt Princeps ipse de illa scribat, aut imperet, multoq. magis cauendũ, ne se ad monendos, reprehendendosq. Principis nomine ministros, & aulicos interpretem adhiberi sinat, sed aperte deprecetur, si quando id illi impositum vellet.

7 Vi-

7 Videat etiam atque etiam ne ſuboriatur opinio, qua i ipſe multum poſſit, & Principem pro arbitrio ſuo regat, præterquam enim quod odioſa, & omnibus ingrata res eſt, atque adeo Principi ipſi parum honorifica, incredibile præterea Societati damnum affert. Cum enim vt humana eſt miſeria, murmurationes, ſeu iuſtæ, ſeu iniuſtæ numquam deſint, odium ſemper, vt experientia compertum eſt, in Confeſſarium retorquetur. Proinde quamuis reipſa aliquid poſſet, opinionem tamen illam vitare debet, vſum autem poteſtatis, quo ſupra modo dictum eſt temperare.

Opinionẽ gratiæ apud Principem non amplificet

8 Debet Princeps æquo animo, & patiẽter audire, quidquid Confeſſarius dictante ſibi conſcientia ſuggerendum in dies pro re nata cenſuerit, quia cum perſona publica, & cum Principe cum agatur, conuenit, vt Patri religioſa libertate expromere liceat, quod ad maius Dei, ac Principis ipſius obſequium in Domino iudicarit: nec de ijs ſolum rebus, quas ab eo, vt pœnitente ſuo cognorit, ſed de alijs etiam, quæ hinc inde audiuntur, remediumq. poſtulant ad inhibendas oppreſſiones, minuendaq. ſcandala, quæ præter Principis mentem ac voluntatem, Miniſtrorum ſæpe culpa eueniunt, & tamen noxa, proſpiciendiq. neceſſitas in Principis ipſius conſcientiam reuoluitur.

Quomodo Principem monere debeat.

In dubiis Theologi confulédi pro confciétiæ pœnitentis.

9 Vt fi quando contingat, quod facile eft factu, vt difficultas aliqua circa Confeffarii fententiam nafcatur, Princeps cum duobus, tribusve aliis Theologis rem confultet. Qua in re vt acquiefcere ipfum oportebit, confciẽtiam fuam deponendo, fi contra eius fenfum iudicauerint, ita Principi graue pariter non fit affentiri pro fua parte, vt id fiat, quod illi faciendum effe decreuerint.

Sit obferuans difciplinæ.

10 Domi memor vfque fit modeftiæ religiofæ, obedientiæ erga Superiores, & æqualitatis cum cæteris circa cubiculum, veftitum, reliquamq. vniuerfam difciplinam. quia fauores, & quod aliquid interdum pro Societate impetrarint, tranfuerfos agere homines folent, vt imperiofius agant, & quandam præ aliis excellentiam præfeferant, quod cum bene conftitutum corpus magnopere dedeceat, incredibile dictu eft, quantum etiam in aliis creet auerfionem.

Regi fe a Superiore finat.

11 Atque vt vno verbo dicantur omnia, meminerit fe Confeffarium tantum effe; omnia proinde quæ ab hoc munere aliena funt, ab ipfo pariter aliena effe oportere. Vnde nec Societas illa permittere debet, nec ipfe ægreferre fi eum Superiores hac in re coerceant: quin potius agere Deo gratias, quod hoc modo expeditior reddatur; & vni officio fpirituali fibi commiffo attendere, Deum affidue orando, vt ei lumen concedat ad recte

collimandum, & cum Superioribus in dubijs casibus consultando, quia spiritus Domini directio, & non humana prudentia, propriumve iudicium vtiliter illuminat.

12 Semper insistat, vt Principem beneuolum, ac propensum habeat erga Societatem, & non erga priuatam suam personam, quia hæc certa ipsius ac religionis pernicies esset. Quare animum pœnitentis sui sic affectum retineat, vt quandocumque religio ad Dei obsequium expedire iudicabit, vt ipse mutetur, aut eius opera alio in loco vtatur, maiorem in ea re facilitatem nanciscatur, quam interdum experta sit quorundam Confessariorum culpa, qui volentes, aut fortasse etiam imprudentes negotia sic tractant, vt se ipsos & seculares quibuscum versantur, a religione potius auertant, quam vt eos Christo lucrifaciant.

Principis amorē erga Societatē foueat

13 Caueat ad extremum, ne occupationes, & res aulicæ spiritum relaxent; quin maiore cura incumbat per orationem, exercitia spiritualia, frequentiaq. sui examina, vt coniunctum cum Deo D. N. instrumentum efficiatur, ita vt eius gratia & auxilio nixus non modo in se ipso spiritum non amittat, sed in ipsis quoque negotijs spiritu illuminetur & regatur. Vnde operæpretium etiam fuerit, vt in ministeriis erga proximos, reliquorum operariorum more se exerceat.

Impensius spualibus exercitijs incumbat orationi &c.

Incõsulto & assentiẽte Prouinciali nemo confessiones Princi pũ audiat.

14 Verum vt pacate omnia, & absque vlla Principum offensione transigantur, necesse esse duximus, vt is qui pro certo ac stabili Confessario petitur (nam si semel, aut iterum id fiat, vt solet accidere, minime oportebit) paratum se quidem esse poscenti Principi respondeat: verum per leges, quas habemus nulli ex nostris licere inconsulto, & non assentiente Prouinciale id oneris suscipere, proinde ab eo petenda facultas. Prouincialis vero per se quidem si sic expedire in Domino iudicauerit, vel per aliũ, vel si visum fuerit, eundẽ ipsum Patrem, priusquam potestatem faciat (dummodo ad id muneris per idoneum, & ijs dotibus instructum, ac virtute præditum esse duxerit, quæ necessariæ sunt ad bene peragendum) primum ostendat oportet petentibus instructionem hanc nostram, vt plane intelligant quid Societas ab eo postulet, quem Confessarium sibi eligunt: deinde modeste quidem, sed plane, atque perspicue eisdem significet, & si ex animo permittimus, vt eius Patris opera ad spiritualem sui consolationem pro libito vtãtur, intelligant tamen futuram semper in potestate Superiorum cum illis visum fuerit, mutationem, & liberam Patris, vt & cæterorum omnium dispositionem.

Ostendẽda Principi hæc instructio, & clarius ei aperiendum.

Quod sane consilium nobis vt pernecessarium, ac salutare, sic eisdem probatum iri con-

confidimus, ita exigente religiosa disciplina, cum persuasum nobis esse debeat eiusmodi Principes pro sua in nostrum ordinem beneuolentia nihil nisi quod honestum sit & legibus nostris affine a nobis expetere voluisse.

VIGESIMASECVNDA

INSTRVCTIO

AD SVPERIORES PRÆSERTIM PROVINCIALES

De ratione tenenda cum ijs quos e Societate dimitti oportere iudicauerint, antequam ad Generalem ſcribant.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali anno 1604. ad Prouincias miſſa.

Neceſſitas & cauſæ huius inſtructionis

1 QVAM vtile ſit ac neceſſarium a Societate dimitti eos, qui ad illam apti non ſint, liquido apparet non ſolum ex Conſtitutionibus, Bulliſq. Apoſtolicis, ſed etiam ex perpetuo vſu & traditione tum

B.P.

B. P. N. ac Fundatoris, tum B. P. Francisci Xauerij viri vt eximia castitate conspicui, sic eiusdem P. Fundatoris nostri mentis, sensorumq. intelligentissimi. Verum vt res tota cum ea caritate ac prudentia transigi possit, quam Constitutiones præscribunt, & quam Spiritus ipse Dei nos docet; postularunt a nobis variæ Prouinciæ, vt Superioribus instructionem aliquam exhiberemus de modo quem tenere ad nos scribendo debeant, cum res exigit, vt ad huiusmodi consilia vel inuiti descendamus. Quare de his quæ sequuntur, operæpretium visum est admonere, Rectoribus, ac multo magis Prouincialibus (ad quos proprie spectat de amputationibus istis nobiscum agere) in futurum præmonitis, nisi ea diligenter obseruent, fore, vt neque conscientiæ ipsi suæ, officioq. & Constitutionum legibus satisfaciant; neque a nobis (quorum est præuia informatione, congruaq. pro rei magnitudine caritate, maturitate ac deliberatione statuere) certum vllum responsum aut sententiam referre possint.

Tria ante dimissionē Prouinciali inspiciēda circa dimittēdū.

2 Primum ergo cum quispiam de nostris male se gerit, & de illo dimittendo ab alijs suggeritur, Prouincialis præmissa oratione animum intendat vt exploret an ea quæ illi obijciuntur, vera sint, an vero falsa, aut dubia. Deinde an vt vera essent, tanti sint momenti, vt de dimissione iuxta cap. 2. 2. partis agi debeat.

beat. Tertio inquirat accurate, vtrum Superiores erga huiusmodi hominem debita caritate perfuncti sint, diserte illum commonefaciendo, pœnitentiarumque; & quod caput est, exercitiorum spiritualium, interiorisq. curationis remedia applicando. & quam diuturna deinde fuerit hæc curatio: quandoquidem non est satis vno atque altero mense medicinam facere, sed patientia & longanimitate opus est.

Genus culpæ attendendũ eius qui dimittitur.

3 Consideret genus culpæ, quale sit, an ex earum scilicet numero, quæ quod alios inficiant, communi bono aduersentur; an ex ijs quæ scandalum præbeant, aut quæ grauem Societati notam adferre possint: an propter delicti magnitudinem, aut propter emendationis difficultatem, aut denique ad resarciendam Societatis famam, præcisionẽ hanc requirant; si modo & ratio ipsa rei pertractandæ, & diuturnitas adhibendæ curationis maturæ huic curationi locum faciant: cum certum sit, vbi periculum vrget, ne alij labefactentur, aut vbi manifesta est Religionis infamia, diutius differri non posse. Cum immo in publicis casibus, necesse ad compensandam iacturam interdum erit, festina & prompta executione vti, iuxta reg. 41. Prouincialis.

Qñ minime differẽdum.

Quinã primum audiendi.

4 Peracta in hunc modum informatione, omnibus diligenter consideratis, auditaq. len-

sententia Rectoris illius Collegij, in quo admissum delictum, aut vnde prodijt accusatio, Prouincialis Consultores suos conuocet, & singula illis opponat. tum deinde informationem ad nos mittat, quemadmodum obseruata fuerint quæ dicta sunt, & quid ipse, Consultoresq. ipsius faciendum censeant: vt exempli causa, N. tot annorum est, in Societate tamdiu fuit, gradu caret, aut ad illum promotus est, scholasticus est, vel Coadiutor, in his studijs versatus, vel artem hanc nouit, tot annis male se gessit in hoc vel illo genere defectuum: idem hoc & illo in loco, in quibus vixit, vel hoc ipso in genere, vel in hac & illa re malæ fuit ædificationis: adhibita fuerunt hæc & illa remedia, nulla secuta est emendatio, censemus illum, &c.

De quibus circa dimittendos, Generalis docendus.

5 Si defectus sint cum scandalo coniuncti, & qui pœna aliqua puniri debeant, priusquam dimittantur, iuxta mentem V. Congregationis in Decreto 43. non ante ad dimissionem veniatur, quam pro meritis fuerint castigati. Sin alterius generis erunt, intelligant Superiores, non esse necessarium, nec Societati expedire, vt pœnæ semper irrogentur; cum dimitti possint ac debeant, quantum fieri potest, sine dedecore vel ignominia, vt præcipit Constit.par.2.cap.3.§.5.6. & 7. curandumq. sit, vt qui dimittitur, recedat integra cum beneuolentia, & quanta

Qñ ante dimissionem puniendi.

cum

cum consolatione fieri potest, atque etiam vt dirigatur, iuueturq. prout caritas dederit.

Quid cum iis qui spõte dimitti petunt. 6 Erga eos qui ex sua ipsi tentatione dimitti petunt, laxari habenas nullo modo conuenit, ne tum quidem, cum habita personæ ratione, vtile Societati videretur, ab ea liberari. Non conuenit, inquam, multas ob causas. tum quia eiusmodi difficultas nonnullos interdum ad saniorem mentem reduxit; tum propter aliorum etiam ædificationem; tum vt ad salutarem ipsis indifferentiam reuocari queant: tum denique quia si persuasio hæc, quasi ianua omnibus statim pateret, perniciosa multis futura videretur. Sed quia huiusmodi homines, vbi ad certum gradum tẽtationis peruenerint, raro apti sunt ad Societatem, vitari simul alterum extremum necesse est, in quo versantur, qui illos omnibus modis semper retinendos censent: propterea quod instituti nostri, & ministeriorum ratio id minime ferret, nec ipsa tandem propria illorum vtilitas, nec commune bonum Societatis, quæ tunc illos dimittit, non quia ipsi postulant, sed quia inutiles, noxijq. reliquo corpori effecti sunt, & emendari nolunt.

Cum quis (re nulli cõicata) dimittitur. 7 Et quoniam propter causas etiam occultas, vt docent Constitutiones cum Bullis Apostolicis, & praxis ipsa B. P. N. ostendit, dimitti possunt, quando vel ipsismet, vel

Socie-

Societati, vel vtrique parti expedire visum fuerit; non debent Consultores credere, multoq. minus accusare, quasi eo quod Superior cum ipsis rem non communicarit, temere & sine causa gesta sit: sed cum religiosa potius modestia Superiorem interrogare, quid causæ vel nostris, vel externis sciscitantibus reddi queat. is enim congruæ tum prudentiæ, caritatisq. non immemor, eiusq. qui dimissus est mente præcognita, cum scilicet ex communi vtrinque consensu res transacta est, tale illis responsum dare poterit, quod omnibus merito satisfaciat.

8 Perlata tandem ad nos informatione, rem ante omnia Domino commendabimus, & cum PP. Assistentibus, nisi eius conditio, secretiq. seruandi lex aliud postulat, eandem consultabimus; omnibusq. consideratis, sola Dei gloria, & Societatis, atque ipsius etiam de quo agitur, quoad eius fieri poterit, vtilitate ob oculos proposita; eam sententiam amplectemur, quam in Domino magis expedire iudicabimus. Quam vtique, vt rem tanto studio examinatam, mature deliberatam, Deoq. impensius commendatam, in Prouinciis qua par est animorum quiete, iudiciorumq. submissione, sine curiosa cuiusquam inuestigatione exceptum iri speramus: præsertim cum sæpe euenturum sit, vt causæ quibus adducti fuerimus, ob multa & grauia impe-

Præpositi Generalis iudicio acquiescẽdũ.

impedimenta euulgari a nobis non possint, nec debeant.

Superiores docendi de ijs qui ad ipsos in Prouinciam, vel extra mittuntur.

9 Sed quoniam animaduersum est (vt alias Superiores monuimus) cum accidit, vt mittendi sint in aliam Prouinciam ij, de quorum dimissione agitur, propterea quod in sua commode dimitti non possint; mitti eos interdum sine debita informatione, ita vt Superiores Prouinciæ præsertim eorum statum ignorantes, eorum opera in publicis functionibus vti statim incipiant: neque alio modo eos tractent, quam cæteros suæ Prouinciæ: quo fit vt, cum eos postea dimittere iubentur, multa nascantur incommoda, cum externorum & domesticorum offensione. Idcirco huic tanto malo vt in posterum tempus occurratur, si quando acciderit aliquem hoc fine mitti extra Prouinciam, meminerint Prouinciales ex regula 117. sui officij de illius statu instructionem vel præmittere, vel minime differre, vt ex ea iudicent Superiores, ad quos mittitur, quid agere, & quo loco habere vnúquemque debeant, donec, si res ipsa id postulauerit, nostrum ab Vrbe responsum præstolentur.

Ne qui dimittendi sunt interim in ministerijs occupentur.

10 Illud postremo hoc loco minime prætereundum est, quod cum & ad ædificationē non parum conducat, & ad offensiones externorum vitandas pernecessarium sit, ipsa experientia docente, Superioribus seuere cogi-

mur

mur interdicere, ne eiusmodi personæ, de quarum dimissione agitur, vllibi eo tempore, quod intercurrit, vllo modo exponantur publicis functionibus aut ministeriis, sed omnino abstineant, & domi contineantur, vt rei grauitas postulare videbitur. habeaturq. semper in omnibus ædificationis ratio, temporis, locique, quoad eius fieri poterit, in dimissione seruatis circumstantiis.

VIGE-

VIGESIMATERTIA

INSTRVCTIO

AD SVPERIORES

De paterne exigenda ratione conſcientiæ a ſubditis, & ſecreti fide ſeruanda.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præpoſito Generali anno 1606. ad Prouincias miſſa.

1 CVM reddere conſcientiæ ſuæ rationem res ſit apprime neceſſaria, & accuratiſſime nobis a B. P. N. commendata, ne qua inſcitia ſubditorum, aut minus clara eius rei cognitione in noſtra Societate aliquando intepeſcat; ex quo incommoda non modica, cum magno rei ſpiritualis damno, & decremento auxiliorum, quæ

Incommodis occurrendum.

quæ ipſis ſubditis adhibenda ſunt, & magno etiam communis boni, diuiniq. obſequij detrimento orirentur. Idcirco, quemadmodũ omni diligentia noſtrum eſt ſubditos ipſos ad ſuum officium in hoc genere pręſtandum adhortari, ob ingentes quæ ex ea re bene tranſacta percipiuntur vtilitates; ita ſumme neceſſarium eſt, quemadmodum a nobis alias ſignificatum ac præſcriptum eſt, vt Superiores pro ſe quiſque rem promoueant; tum eam præſeferendo comitatem, paternamque beneuolentiam, quæ ſubditos ad ſe totos magna fiducia aperiendos alliciat; tum eam adhibendo prudentiam, ſecreti fidem ac cautelam, & ad eum vnum finem conſequendũ, cuius cauſa a B. Fundatore noſtro totam hãc rem inſtitutam eſſe ſcimus, quod eſt ſpirituale auxilium, & idonea ſubditi cuiuſque perſcrutatio. Quapropter animaduertant Superiores, id quod his literis maximopere ijs iniungimus, grauiſſimeq. præſcribimus; ne hac notitia ita vtantur, vt ſubditorum animi offendantur, ſuſpicenturq. ſe ob eam rem, aut notam aliquam, aut periculum adituros, ne minus commode a Superioribus tractentur.

Quæ Superioribus pſtanda.

Quænam cautio adhibenda.

2 Quare Superiores, quamuis ſecretum naturali iure tantum teneatur (nam de ſigillo confeſſionis nihil eſt quod agamus) videãt tamen ſumma cura, vt ſecreti fides integra ſit,

Secretum ſeruetur.

ſit, nihil omnino cuiquam innuendo; multo etiam minus ad conſilium referendo conſultandi cauſa, quid facto opus ſit; nam ex eo ſubditi a ſua aperienda conſcientia deterrerentur vehementer. Licet enim tanti ponderis ea regula præceptumq. ſit, ſexcentas tamen Theologicas ratiocinationes, & periculorum ſpecies excogitarent, quare ad ſe tanto cum damno detegendos nulla lege tenerentur. Qua opinione atque auocatione animorum neſcio an pernicioſius quidquam ad bonam adminiſtrationem Societatis eſſe poſſit: quæ intima animi cultura, ſpiritaliq. inſtitutione magis, quam legibus vllis, pœniſve externis irrogandis ſuos optat alumnos ad perfectionem virtutis edocere.

Dāna quæ ex hoc defectu orirentur.

3 Quare Reuerentiæ Veſtræ rem totam quam accuratiſſime commendamus, vt inter viſitandam prouinciam, diligenter cognoſcat qua fide Superiores in hoc genere ſe gerant: ac ſi quis in eo fuerit ſolutior, aut minus, quam debet, accuratus; det operam, vt pro culpæ grauitate, in eum animaduertatur: ac ſi opus fuerit, de tali Superiore amouendo ab officio nos certiores faciat. Idq. ita curetur, non modo vt ſubditi nos ita præcepiſſe, ſed ita etiam exequi mandaſſe ſciant: vt intelligant omnes etiam Superiores, ſi quid aliquando deliquerint, pœnæ obnoxios futuros. Cōtraq. ipſi ſuſpicionum vmbras, quæ ſubinde

In viſitatione quid Prouinciali pſtandū.

Cōicanda ſubditis hæc ordinatio.

de

de oriuntur, exuant penitus ex animo; in idq. magna caritate Superiores incumbant, vt subditi ex eorum paterna caritate recreentur, benigneq. se ab ijs tractari lætentur: viciſſimq. ipſi ea qua filios decet reuerentia fiduciaq. ad Superiores ſuos, tanquam ad beneuolos parentes, in omni re confugiant. Veſtra Reuerentia quid egerit in hac cauſſa, quemadmodum per ſe ac per Confeſſarios, vt ab errore ſubditi auocentur contenderit, ſi quid peccatum fuerit, quæ remedia adhibuerit, & quid in eo genere Superiores profecerint, ad nos perſcribat. Redeo ad illud idem, moneoq. etiam atque etiam, rem eſſe maximi momenti, proindeque non mediocrem diligentiam deſiderare.

De quibus Gñalis monendus.

VIGESIMAQVARTA

INSTRVCTIO

PRO IIS, QVI AD MISSIONES FRVCTIFICANDI CAVSA PROFICISCVNTVR.

A R. P. N. Claudio Aquauiua confecta.

Cur ſcripta hæc inſtructio.

1 AD directionem, praximque Regularũ eorum qui ad Miſſiones proficiſcuntur, neceſſarium duximus hanc Inſtructionem perſcribere, ad quam poſſint deinde Prouinciales, quæ pro locorum ac Miſſionum varietate opportuna videbuntur, adijcere.

Scop' Miſſionum.

2 Finis harum Miſſionum eſt auxilium tot animarum, quæ ex ignoratione rerum ad ſalutem ſuam neceſſariarum, in ſtatu peccati, cum æternæ damnationis periculo, verſantur. Proinde omni ſtudio enitantur, vt continuam, veramq. inter ſe vnionem habeant, cum patiendi deſiderio: quandoquidem

Vnio inter ſe, & cum Deo coniunctio.

dem hæc necessaria sunt fundamenta ad finē propositum consequendum, & ad bonam ædificationem apud omnes conciliandam. memineintq. hanc esse vocationem nostram, in qua primi Patres nostri sese exercuerunt. Ob eandem causam orationem matutinam, & examen vespertinum, quoad eius fieri poterit, numquam prætermittant; & procurent tum in hac, tum in cæteris rebus intimam vnionem cum Deo, a quo pendet omnis actionum nostrarum recta institutio & efficacia.

3 Perlustrabunt loca, quæ in catalogo suo descripta habebunt, tamdiu in singulis consistentes, quamdiu pro numero, & dispositione personarum expedire videbitur. Cum primum ad oppidum, seu vicum peruenerint, ante omnia primariam Ecclesiam adeant; & post breuem orationem, prout temporis ratio & ipsorum commoditas feret, agant cum Parocho, vel alio Cleri Præposito; omnemq. illi beneuolentiæ significationem exhibendo, caueant ne vel minimo indicio dent suspicionem, quasi ad eum visitandum veniant: sed ostensis Patentibus, &c. declarent sibi hoc vnum esse propositum, vt Doctrinam Christianam tradant, confessiones audiant, pacificationes procurent, &c. ac nominatim vt Clero in omnibus probari & satisfacere studeant. Doceant præterea sibi præscriptum esse a Superioribus suis, ne cui victus causa sint

Quæ loca perlustrabunt.

Ecclesiam primū adeant, tū parochum.

Finē missionis declarent.

Nemini se oneri futuros.

ſint oneri. idq. adeo ſe curaturos, cum habeant vnde vitam ſuſtentent. cubiculum tantummodo deſiderari a fœminarum commercio liberum, & in quo lectuli ſint ad quieſcēdum. Quod ſi mundum aliquod in xenodochio cubiculum erit, alibi non quæratur. Ab eodem Parocho, ſi conſenſerit deſignabuntur, qui res ad victum neceſſarias pro ipſis cōparent. quos quidem ad ſuſtentationem ſufficientes eſſe oportebit, ſic tamen, vt ædificationi ſemper conſulatur.

Vbi habitent.

4 Interrogent eundem Presbyterum de peccatis populi magis vſitatis, de vſuris, concubinatu, inimicitijs, abuſibus, ſuperſtitionibus &c. vt maiori cum luce, & vtilitate animarum ſermones ſuos, laboresq. dirigant. Conferet plurimum, ſi quam boni nominis ſæcularem perſonam ſibi concilient, cuius opera apud alios vtantur; procurando vt diuina ſacramenta frequenter obeant; & probo pariter alicui Sacerdoti eos inſinuando. Iuuabit etiam ſcholas viſere, ſi ſine offenſione fiat, magiſtrorumq. gratiam ineundo, pium aliquod deuotionis exercitium inter ſcholaſticos introducere. Et cum tempus vacuum erit, in priuatis cum hoc vel illo ſermonibus fructuoſe collocare.

Edocēdi de peccatis populi.

Alicui' boni viri opera vtendū.

Scholaſtici iuuandi & quomodo.

5 Quo die ad locum peruenerint, in quo ſubſiſtere debent, procuretur quamprimum commoditas populi conuocandi: conuocetur

Quoties populus cōuocād'

tur autem mane ac vesperi. fiatq. exhortatio vna, in qua primum differatur de necessitate doctrinæ Christianæ, & de malis, quæ peccato mortali adiuncta sunt vt ex co intelligatur necessitas confessionis. Deinde exponatur causa & finis aduentus ipsorum, bona cum venia & facultate Ordinarij; promulgeturq. Iubilæū a S.Sanctitate concessum, potestas absoluendi &c. atque hæc omnia Societatem nostram ex Instituto suo facere; cui conuenit hoc munus Doctrinæ Christianæ, confessionum &c. significetur etiam nullum hic lucrum quæri, nec pecunias: immo ferri ad ipsos munuscula quædam rerum piarum. Nulli proinde se graues futuros, cum a Superioribus suppeditata eis sint necessaria. Significent præterea horis matutinis audituros se confessiones eorum, qui conscientias suas subleuare desiderant. A prandio Doctrinam Christianam tradituros fœminis, & pueris ac puellis. Vesperi autem eandem viris post salutationem Angelicam explicaturos. Hortētur itaque, vt veniant, & domesticos ac familiares mittant.

Materia cōcionum.

Popul⁹ de quibus docendus.

6 Si oppidum est alicuius momenti, & alius concionator non sit, Quadragesimæ præsertim tempore, poterit singulis diebus summo mane breuis concio fieri per semihoræ spatium, de Euangelio quidem; sed ita vt ad rerum necessariarum doctrinam tradu-

An concionandum & quando.

catur pro captu auditorum. Exemplis autem crebro vtantur, & pro re nata populum impensè hortentur ad diuini cultus obseruationem, & ad Ecclesiasticos honore ac reuerentia prosequendos.

De quibus clerus instruẽdus & quo tpe.

7 Cleri Institutio complecti debet breuem notitiam Mysterij Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. quænam sit materia & forma Sacramentorum, de eorum vsu & exercitio, ac præcipue de ratione confessionum audiendarum, & populi instruendi; commendando eis diligentiam & munditiem circa cultum diuinum. His porro, qui e Clero sunt, dandus est Catechismus, si non habent, Directorium P. Polanci, aut F. Medinæ. Fient hæc mane, quando ab audiendis confessionibus otium erit. Quod si tunc non licebit, detur opera, vt sero sub noctem perficiatur.

De fœminarũ & puerorũ cõfessionibus audiendis.

8 Fœminarum confessiones in Templo semper audiantur loco non obscuro; eodemque modo iuuenum; studeantq. ab eis personis quamprimum expediri, quæ mouere possunt suspicionem.

Qñ fœminę & pueri Doctrinã Xp̃ianam docendi.

9 Pomeridianæ horæ ponentur in tradẽda fœminis, puerisq. Doctrina Christiana; allicienturq. processionibus publicis, festis præsertim diebus, in quibus pueri ac puellæ vario cum ornatu appareant; & præmijs imaginum; diligentem operam adhibendo, vt do-

doctrinam accurate perdiſcant, & hortando, vt eam aliarum inanium cantionum loco decantent inter laborandum, & in agris ipſis.

10 Veſperi poſt ſalutationem Angelicam circa mediam horam noctis Parocho, & alijs clericis adnitentibus, conuocetur ad Eccleſiam quam maximus poterit numerus, inuitando Gubernatorem, aliosq. viros primarios, vt cæteros alliciant, prohibendo ne fœmina vlla admittatur, ibiq. explicetur Doctrina Christiana, declarando Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, Symbolum Apoſtolorum, &c. omnem ſermonem concludendo malorum, quæ peccato mortali inſunt, declaratione. horæq. circiter ſpatium hac in re collocetur. Quod ſi ad eam vnicus ſufficiat; alter interim in priuati cuiuſpiam auxilium incumbat, vel eius confeſſionem audiendo, vel pacem inter diſcordes componendo.

Quã viri Doctrinã Xp̄ianam docendi.

11 Si quando incidat, vt aliquid eleemoſynæ pecuniariæ largiendum ſit perſonæ alicui ad grauem neceſſitatem redactæ, caute fiat, & ſecreto, ne ſi pateſiat, concurſus fiat pauperum; quibus ſi eleemoſyna denegetur, obtrectandi occaſio præbebitur.

Caute eleemoſyna elargienda.

12 Vbi Religioſos cuiuſlibet ordinis naſcuntur, omnem in illos beneuolentiæ ſignificationem declarare ſtudeant, eosq. in Domino, quoad fieri poteſt, lucrifacere. Quod ſi res ferat, iuuabit exercitia ſpiritualia cuipiã illo-

Quõ cum religioſis ſe gerant.

illorum, atque etiam Clericorum tradere.

Quæ ab ipsis annotāda. 13 Obseruabunt subinde, & annotabũt, quæ digna videbuntur de quibus Prælatum admoneant, vt ea coram postea post reditum in vrbem illi exponant. Itemq. præcipua quæque notatu digna pro Annalibus.

Confraternitatũ institutio & quomodo. 14 Dabunt operam, vt inchoetur, promoueaturque, vbi opportuna res erit, Confraternitas aliqua Sanctissimi Sacramenti, vel nominis Dei, vel Rosarij, vel Doctrinæ Christianæ. Romam postea scribendo vt stabiliri possit, iuxta regulam xxij. missionum.

Quis in missione Superior. 15 Qui priore loco in Patentibus nominabitur, Superior erit missionis; alter eius Admonitor: demum omnes sibi commendatam esse intelligant exactàm regularum pro Missionibus obseruantiam.

FOR-

FORMVLAE EX VARIIS V. CONGREGATIONIS DEPVTATIONIBVS EDITAE

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali, iuxta eiusdem Congregat. Decretum 98. recognitæ.

FORMVLA PRIMA

ACCEPTANDORVM COLLEGIORVM.

Iuxta V. Generalis Congregationis Decretum 87.

A. R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali explicata.

Quo in posterũ Collegia acceptanda.

1 CVM Collegiorum ratio triplex esse possit; nempe infima, media, & suprema; & admitti nullo modo in posterum debeant Collegia vlla, quæ seminarium sibi saltem ipsis necessarium operariorum, qui in eisdem Collegijs occupantur,

pantur, alere non possint, vnde sibi de operarijs eisdem, quando opus est, vel proxime, & immediate, si id præstare poterunt, prospiciant, vel certe per modum permutationis cum alio Collegio faciendæ, vnius, verbi gratia, Lectoris Rhetoricæ pro vno Confessario, aut Concionatore &c. necessarium esse duximus cuilibet Collegiorum rationi suum numerum personarum, quas alere possit, infra quem ea acceptanda non erunt, designare.

De infima Collegij ratione.

2 CVm igitur tribus quasi mēbris quodlibet Societatis Collegium constet, domestica scilicet gubernatione, institutione scholarum, & templi ministerijs; infimæ rationis Collegij ratio septem, vt minimum Sacerdotes requirit, Rectorem, Ministrum, Concionatorem, Præfectum rerum spiritualium, Confessarium nostrorum domesticum vnum, externorum alterum, & Procuratorem; ex quibus tres, vel quatuor in templo confessiones diebus festis excipiant.

Numerus operariorū in infimo Collegio.

3 Scholarum vero institutio, iuxta Constitutiones in Grammatica, disciplinisq. humanioribus, Rhetorica, & linguis, casibusq. conscientiæ, quantum fieri poterit, esse debebit: ne scilicet suo fine fraudetur Societas, quin

Scholarū institutio qualis. p.4. c.7.B. & c.5.A.& c.12.A.

quin suos discipulos ad mediocritatem saltem instruat, vt vel ad Ecclesiastica ministeria exercenda, & animarum salutem promouendam sint vtcumque idonei, vel ad secularia munia vsu linguarum sufficienter instructi.

Quot magistri præficiendi.

Erunt igitur præficiendi, tres Grammaticæ præceptores, Humanitatis vnus, Rhetoricæ vnus; in quorum nonnullis classibus erit ab eisdem lingua Græca docenda; vnus denique casuum conscientiæ lector; Præfectus item scholarum vnus: omnes denique septẽ, præter Correctorem externum.

Minimum 30. esse oportebit.

4 His quatuordecim operarijs essent attribuendi, vt minimum, totidem Societatis scholastici pro Seminario, essentq. vniuersi viginti octo; quibus si vnum Correctorem, & vndecim Coadiutores omnino necessarios addamus, erit numerus huius rationis Collegij quadraginta personarum. Verum, quia V. generalis Congregatio decreuit, vt infimæ huius rationis Collegiorum fundationes, quę ad sustentationem triginta personarum sufficerent, admitti possent; onerum tamen, seu obligationum mensuram, scholarum scilicet, & Magistrorum numerum non determinauit; Præpositi Generalis erit, obligationes, & grauamina in eiusmodi fundationibus, quę triginta personis alendis tantum sufficient, ita attemperare, ne huiusmodi Collegia supra

Obligationes & grauamina numero attẽperanda.

vires

vires onerentur: vt si in his, verbi gratia, duas Grammaticæ classes, vnam vero Humanitatis tantum admittat, cum scholarum Præfecto, atque his, non ex obligatione, sed ex mera Societatis liberalitate, vbi opus fuerit, vnum casuum conscientiæ lectorem addat. His igitur quinque, & alijs Sacerdotibus sex, vno scilicet subtracto ex septem superius designatis Sacerdotibus, si totidem scholastici addantur pro Seminario, erunt vniuersi viginti duo, quibus vix sat esse poterunt Coadiutores temporales septem, vel octo, præter Correctorem; erit vtcumque constituta ratio Collegij personarum triginta.

5 Quod si Fundator aliquis exigat lectionum Grammatices, Humanitatis, & Rhetoricæ plenitudinem, lectorumq. numerum superius designatum; hic fundationem augere debebit ad quadraginta circiter personarum sustentationem sufficientem.

Aucto numero augẽda fundatio.

6 Præter fundationis autem censum, congruam pro ratione numeri personarum habitationem, præparatam cum supellectili, & bibliotheca, templique, & scholarum ædificio, hortoq. dare debebit.

Quæ præter fundationem requirantur.

Quod si ex his aliquid desit, quod ex censu ipso fundationis suppleri debeat, monebitur de hoc, sicut & de re tota, Præpositus Generalis.

De

De media Collegiorum ratione.

Numerus minimũ sexaginta.

7 SI ad ſupradictũ operariorum, & ſcholarum numerum, tres Philoſophiæ curſus triennales, ſingulos ſcilicet ſingulis annis auſpicandos, Fundator adijcere volet; addendi ſimiliter erunt Scholarum tres Magiſtri, Præfectus, vnus item, aut alter, qui prælectionibus eorum magiſtrorum, quos decumbere contigerit, ſubſtitui poſſint; templi etiã operarij, Seminarij ſcholares, & Coadiutores temporales: qui ſi recte diſtribuantur, ad numerum octoginta circiter perſonarum Collegij, computatis infimæ rationis perſonis

Pro rata augenda fundatio.

aſcenderent. ſed quandoquidem Generalis Congregatio cenſuit, non eſſe grauandos huiuſmodi Collegiorum Fundatores vltra cenſum, qui alendis ſexaginta perſonis in vniuerſum ſit ſufficiens; cum reliquis templi, habitationis, & ſcholarum ædificijs ſupradictis, his contenti eſſe debebimus.

De ſuprema Collegij ratione.

Numerus minimum centũ perſonarum.

8 SI quis Fundator petat ſtudium generale, vel Vniuerſitatem inſtitui, nimirum, vt in ea præter omnia ſupradicta, prælegatur Theologia ſcholaſtica, & ſacra Scriptura, atque lingua Hebraica; ad hæc præſtanda

da necessarij erunt tres, vel quatuor alij Professores, propriusq. huius facultatis Præfectus, seu totius scholæ Cancellarius, substituti, alijq. officiales in Vniuersitatibus adhiberi consueti: insigne item aliud Seminarium Theologorum cum aliquo domesticorum officialium incremento, vt ex Collegij huiusmodi fundatione, annumeratis simul Collegiorum infimi, & medij generis personis, centum, vt minimum, ali possint.

Pro rata augenda fundatio.

Excipiuntur autem Indicæ, ac Transalpinæ regiones, de quibus nihil certi præscribēdum censuit Congregatio Generalis.

Excipiuntur Indicę & Trāsalpinæ Prouinciæ.

FORMVLA SECVNDA

DE APTIS AD GVBERNANDVM.

Quo modo de ijs confici, debeant Informationes, quæ in Vrbem tertio quoque anno mittendæ sunt.

A R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali recognita, & aucta anno 1595.

CAP. I.

Quanti sit facienda bona superiorum electio.

1 QVONIAM magna ex parte Societatis nostræ gubernatio, vt B. P. Ignatius affirmat par. 9. Constitutionum, pendet ex Præpositis localibus, quibuscum necessario ab eo, qui vniuersalem

curam

curam sustinet, communicandum est onus, vt in rebus particularibus eas ordinationes, quæ hinc præscribuntur, exequantur; & cum ea fortitudine, & suauitate, quæ a Constitutionibus nostris exigitur, curent, vt in praxim perducantur, semperq. viuæ, ac vigentes eo ipso vsu declaratæ censeantur Constitutiones, ac Regulæ (siquidem quod eæ chartis descriptæ sint, non id Societatis spiritum tuetur, ac viuificat) ideo plane necessarium est, vt huiusmodi homines ad hoc munus deligamus, in quorum industria, ac prudentia merito conquiescere, & quibus eorum, qui nobis crediti sunt, animorum corporumque curam viciſsim credere poſsimus, & aliquam alleuationem habere grauiſsimi huius oneris, quod nobis a Domino impositum est.

Exquirédi & exercédi ad hoc munus idonei.

2 Quocirca valde commendatum Prouincialibus esse debet, vt quemadmodum in alijs ministerijs, quo copia sit hominum ad ea sufficientium, datur opera, vt mature instruantur, & aptentur; ita etiam in hoc gubernandi, omnium vel præcipuo, non minus adhibeant studij, & diligentiæ in inquirendis, ac notandis cuiusque talentis, & præterea etiam exercendis, & ijs qui aliquam aptitudinem a Domino accepisse videntur, erudiendis, tum praxi, tum etiam opportunis instructionibus, & monitis.

Modus eos exercendi.

3 Modus autem eos exercendi esse hic

poterit, si in aliquas consultationes adhibeantur, vel Ministri in aliqua Domo constituantur, vel si cum eis Regulæ perlegantur, & doceantur ipsarum intelligentiam, & vsum; denique alijs eiusmodi rationibus, quas Superioribus eorum prudentia suggeret.

Eorũ notitia constare debet Generali.

4 Eadem de causa valde expedire videtur, vt plena notitia eorum omnium Præposito Generali constet, & quos Prouinciales in suis quisque Prouincijs habeant, qui in hac parte operam Societati nauare queant.

Quorũ iudicio seligat, & a quibus informationes accipiat.

5 Prouincialis primum omnium, audito Consultorum suorum, nec non antiquiorum si necesse fuerit, ac præcipuorum patrum iudicio, ex omnibus suæ prouinciæ Sacerdotibus eos seligat, de quibus informatio accipienda videatur. Postea vero informationes ab ijs accipiat, qui prudenter, & syncere eam daturi videantur; ac re tota rite precibus Deo commendata, suo tempore nobis mittat catalogum eorum, quos ad gubernandũ aptos censebit ex formula, quam in hunc finem subijciemus: illud tamen obseruans, vt omnia fiant secrete, vt rem ipsam postulare intelliget.

In visitatione informationes acceptę 3. quoq; anno ad Gñalẽ mittẽdę

6 Operæpretium autem erit, vt Prouincialis, qui visitat, quemadmodum informationes de promouendis sumit, iuxta Regulam 69. sui officij; ita etiam de idoneis ad gubernandum accipiat. Et postea tertio quoque anno

anno catalogus huiusmodi informationum, ex præscripto huius formulæ, ad Præpositum Generalem mittatur.

7 Porro huiusmodi Catalogus in tres classes distingui debet. Prima quidem eorum erit, qui actu gubernant. Altera vero eorum, qui aliquando gubernarunt. quod si horum aliqui iustis de causis non proponantur, addatur ratio, quare prætermissi fuerint. Tertia denique eorum, qui apti ad gubernandum videbuntur. & de his dicatur, qui nam proxime, qui vero remote idonei censentur.

In 3. classes diuiditur.

8 Has autem informationes (quæ ab omnibus latine mittendæ sunt, vt & eæ, quæ de promouendis ad gradus fiunt) debebunt Prouinciales accipere non solum a Consultoribus, sed ab antiquioribus etiam, & præcipuis PP., qui eos qui proponuntur, optime nosse possunt, vel quia illis præfuerunt, vel quia cum illis familiariter egerunt, vel in Missionibus, foris, vel Domi: quorum omnium nomina ad nos perscribant. Non erit tamen necesse singulis capitibus & responsionibus ponere quid quis dixerit, sed id tantum fieri debebit, cum in ea responsione non consentiunt, & res est alicuius momenti. Tunc enim in informatione addendum erit duos, tresve contra sentire, & in charta aliqua separata explican-

Latinę mittendæ.

Quibus hæ informationes cōicandæ antequā Romam mittātur.

dum, illos duos, vel tres, qui aliter sentiebant, esse Patres talem, & talem. quibus omnibus significandum erit, si quid aliud eis seorsum ad nos scribendum occurrat, id omnino facere non omittant.

Capita Informationis mittendæ a Prouincialibus de ijs, qui in suis Prouincijs ad gubernandum idonei videbuntur.

CAP. II.

De ætate. 1 CVias sit, & qua ætate is, de quo mittitur informatio, & quot annis in Societate fuerit, & quibus in studijs versatus sit, & quo progressu.

An gubernauerit. 2 An alias vnquam gubernarit, vbi, & quamdiu, & in quibus officijs, & qua nostrorum, cæterorumq. satisfactione; quam affectus sit ad res spirituales, ad orationem, cæteramq. cum Domino communicationem.

De mortificatione passionum 3 De mortificatione passionum, de mansuetudine, de humilitate, amore paupertatis, vel singularitate circa propria commoda.

De prudentia &c. 4 De vigilantia, prudentia, & fortitudine in negotijs tractandis.

De caritate &c. 5 De caritate, & suauitate in Subditos, & discretione.

6 De

6 De Religiosa disciplina, & obseruantia, de rectitudine, & constantia.

De disciplina &c.

7 Quam intelligens sit nostrarum Constitutionum, & regularum, & an ex earum spiritu Subditos ad perfectionem dirigere studeat, non humana, & politica ratione, & an sensus habeat proprios, & peculiares, non consentaneos modo Societatis.

An intelligens Cōstitutionum.

8 Vt affectus sit ad externas nationes, & Prouincias, & an particulares affectiones retinere soleat ad personas aliquas particulares, ita vt cum aliorum offensione gubernaturus videatur.

De affectu ad externas nationes.

9 De zelo animarum, & studio iuuandi proximos, & an hoc studium in nostris promoueat; de obedientia, & subordinatione ad suos Superiores, & de proprio iudicio.

De zelo animarum &c.

10 An vnquam notatus sit quod gubernationem ambierit, aut procurauerit.

De ambitu

11 Denique, si quid aliud occurrerit, propter quod aptus, vel minus aptus ad gubernandum videatur.

Hæc omnia in ijs, qui aliquandiu gubernarunt, facile erit animaduertere, & ideo ab ijs, qui vel eorum Subditi, vel Superiores extiterint, eorum notitiam consequi licebit. Qui autem hactenus numquam regimen attigerunt, de ijs illa dici debebunt, quæ vel iam vsu comperta sunt, vel quorum specimen, aut significationem præbuerint.

A quib' & quomodo capiēdę informationes.

PRAXIS CONFICIENDARVM & mittendarum informationum iuxta formulam de idoneis ad gubernandum.

CAP. III.

Personarũ selectio vt facienda.

1 PRouincialis cum suis Consultoribus Catalogum omnium Sacerdotum Prouinciæ perlegat, & ex eorum iudicio illos seligat, de quibus merito sumenda sit informatio.

Informatio qũo sumenda.

2 Facta hac selectione, de singulis selectis sumat informationem, iuxta formulam, & ex responsis quæ retulerit, expresso numero eorum, qui ita sentiunt, tacitis autem nominibus, breuem summam conficiat, dilucidam tamen, & iuxta singulas interrogationes, ad hunc fere modum.

Informatio accepta a quinque, vel sex PP. de P. N. N.

Ad 1. De ætate.

P. Antonius Pamphilius Romanus annorum 40. fuit in Societate annis 20. studuit Philosophiæ, & Theologiæ, vel casi-bus

bus conſcientiæ, &c. bene profecit, vel mediocriter, vel parum, ex trium ſententia; pluſquam mediocriter, ex duorum, vel omnium ſententia.

Ad 2 Nunquam gubernauit, vel fuit Miniſter Collegij, vel Domus talis per biennium, cum bona, vel mala ſatisfactione, ex omnium, vel trium, vel duorum, vel vnius ſententia. Fuit item Rector Collegij talis, cum bona ſatisfactione externorum, omnium iudicio, vel aliquorum; mala autem, vel bona, vel mediocri noſtrorum. Ita ſentiunt duo, vel tres, vel vnus, vel omnes. Et ſic de alijs muneribus, ſi quæ obiuit.

De gubernandi tempore.

3 Quod autem de duobus his capitibus dictum eſt, idem faciendum in cæteris.

Sic de ſingulis.

4 Facta igitur in hunc modum de ſingulis informatione, illã cum Conſultoribus leget, ac examinabit: ac re inter ſe diſcuſſa ſtatuant, quid de ſingulis capitibus ſentiant, idque addant informationi, hoc, qui ſequitur, modo, iuxta informationem ſuper ius poſitam.

Re cũ ſuis Conſultoribus cõicata ſtatuet.

Ad 1 P. Antonius Pamphilius Romanus annorum 40. fuit in Societate annis 20. ſtuduit Philoſophiæ & Theologiæ, vel Caſibus conſcientiæ, &c. bene profecit, vel mediocriter, vel parum, ex trium ſententia, idemq. ſentiunt duo Conſultores: pluſquam medio-

criter,

criter, ex duorum iudicio, quibus adhæret vnus ex Consultoribus, &c.

Secretis & separatis literis ad Gñalem scribendũ.

5 Absoluto Informationum examine, & apposito Consultorum iudicio de veritate Informationum singulis capitibus, Iudicium vtrum ille aptus, vel minus aptus videatur, tum ipse Prouincialis, tum Consultores secretis, & separatis literis ad nos scribant.

PARA-

PARADIGMA INFORMATIONIS IUXTA FORMULAM DE IDONEIS AD GUBERNANDUM.

CAP. IIII.

Informatio de P. Antonio Pamphilio Romano a quinque PP. accepta, & cum Consultoribus examinata.

1 P. Antonius Pamphilius Romanus annorum 40. fuit in Societate annis 20. ſtuduit Philoſophiæ & Theologiæ, pluſquam mediocriter profecit omnium iudicio: idemque ſentiunt omnes Conſultores. *De ætate.*

2 Fuit Miniſter in Collegio Romano per annum; mediocriter ſatisfecit: erat enim aliquantulus ſeuerus, ex trium ſententia, quibus conſentiunt Conſultores. Fuit etiam Rector Lauretanus annis 4. cum bona noſtrorum, externorumq. ſatisfactione, ex omniũ iudicio: duo tamen ex Conſultoribus ſentiunt non bene ſatisfeciſſe externis, licet noſtris ſatisfecerit. *Vbi guber nauerit & qua ſatisfa ctione.*

3 Affectus eſt ad res ſpirituales, & ad orationem, cæteramq. cum Domino communicationem, ex omnium ſententia; quibus conſentiunt Conſultores, vno dempto, cui non videtur deuotus. *De affectu ad res ſpirituales.*

4 Mor-

De mortificatione passionum

4 Mortificatas habere passiones videtur fere omnibus, vno dempto; humilis est, & mansuetus, ex trium iudicio; quibus omnes assentiunt Consultores. Amare creditur paupertatem, & non esse singularis circa propria commoda, ex omnium tam Informantium, quam Consultotum iudicio.

De vigilãtia & prudentia.

5 Est vigilans, & mediocriter prudens, sed non valde fortis in negotiis tractandis; in quo omnes consentiunt.

De caritate & suauitate.

6 Caritatem & suauitatem exercet in Subditos, ex Informantium sententia; dissentiunt tamen duo ex Consultoribus, qui illum existimant seueriorem. Discretionem videtur habere mediocrem, in quo omnes consentiunt.

De disciplina.

7 Religiosam disciplinam, & obseruantiam cum rectitudine & constantia promouet, ex omnium Informantium sententijs; vnus tamen ex Consultoribus dissentit.

De intelligentia Cõstitut.

8 Intelligens est nostrarum Constitutionum & Regularum mediocriter, & ex earum spiritu Subditos ad perfectionem dirigere studet, ex duorum sententia; tres autem existimant illum humana & politica ratione gubernare. Atque hoc secundum verius censent Consultores. Sensus proprios, & peculiares habet aliquando non cõsentaneos modo Societatis, ex omnium, etiam Consultorum sententia.

9 Affe-

9 Affectus bene est ad externas nationes; duo tamen ex Consultoribus contrarium censent. Affectiones ad particulares aliquas personas, præsertim eas, qui suas res probant, retinere solet; ideoq. cum offensione aliorum gubernat. Ita sentiunt omnes, nec dissentiunt Consultores.

De affectu ad nationes.

10 Zelum animarum & studium iuuandi proximos habet qualecumque: hoc autem studium in nostris non ita vt decet, promouet. Ita omnes Informantes. Vnus autem ex Cōsultoribus addit, illum suadentibus scrupulis hoc studium in Subditos aliquando supprimere.

De zelo animarum.

11 Obediens est, & suis Superioribus subordinatus, nec proprij iudicij. ita omnes sentiunt.

De iudicio.

12 Numquam notatus est gubernationem ambiuisse, aut procurasse, &c.

De ambitu

FOR-

FORMVLA TERTIA

DE PROMOVENDIS AD GRADVS SOCIETATIS.

Quo modo de ijs confici, & in Vrbem mitti debeant Informationes.

A *R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali recognita & aucta iuxta decretum 49. V. Congreg.*

CAP. I.

Qua circũ spectione Prouincialibus procedendũ in re tanti momenti.

1 INPRIMIS Prouinciales, ad quorum officium hæc informatio pertinet, persuadere sibi debent, magna fide, diligentia, & circumspectione pro-

procedendũ esse in hoc negotio, cum scilicet tanti momenti sit ad ordinem firmitatemque Societatis, vt ea quam exactissime seruentur, quæ in 5.par. Constit. & alibi dicuntur de dotibus, quibus ornatos esse oportet, qui in huiusmodi gradus sunt referendi: quod quidem eo facilius erit, si antea seruata fuerint, quæ in 1.par. de recipiendis, & in 3. & 4. de formandis nostris præscribuntur.

2 Studeant igitur Prouinciales non prætenire regulam 69. eorum officij; nempe vt in visitatione ordinaria singulorum Collegiorũ accipiant informationem promouendorum; & absoluta visitatione Prouinciæ, ad Præpositum Generalem referant, nec diu differant, ne ex diuturna mora aliqui se negligi arbitrentur: vnde & amaritudinum occasio oriri, & graduum huiusmodi distributio minus facilis, ac suauis reddi potest.

Singulis annis in visitatione capiãt informationes & ad Gñalé mittant.

3 Quoniam vero, si examen de sufficientia literarum ad id tempus differretur, quo quis ad gradum promouendus proponitur, minus commode succederet: contingeret enim eos, qui examinandi tunc essent, ante aliquot annos studia absoluisse, & in varijs Societatis ministerijs occupatos, ac distractos fuisse, ac proinde scholasticas res vel certe subtilitates non ita in promptu habere: vnde non possent forte ita satisfacere, vt satisfecissent, si statim absolutis studijs fuissent examinati.

Examinãdi statim post absoluta studia

nati. Propterea animaduertendum deinceps erit, vt examen, iuxta instructionem a nobis missam, fiat postquam quisque studia absoluerit, antequam ad tertium Probationis annum mittatur, iuxta Constitutiones; & Romam deinde vt asseruetur, & in tempore deseruire possit, quamprimum Prouincialis mittendum curabit. Hæc enim notitia plurimum postea iuuabit, cum de cuiusque gradu statuendum erit: & si is, qui examinatur, non plene satisfecerit, commodius videbit Præpositus Generalis, an vlterius progrediendum sit in literis, iuxta eandem Constitutionem.

Examē Romam mittendum.

4 In quo nobis semel monendi visi sunt Prouinciales, vt quemadmodum nemo eorum, quorum doctrinæ periculum faciendum sit, ad professionem quatuor votorum, promoueri poterit nisi præuio examine (quod sane in huiusmodi gradu solenne, ac firmum esse oportebit, vel nulla in nostris literis eius facta mentione) ita post factum periculum sufficientis doctrinæ neutiquam promotum iri oportebit Generali non præmonito, ab eodemq. expectato, & accepto responso, quantumuis a nobis de alicuius gradu rescriptum fuerit, & inspecta eius informatione placere vt promoueatur, si de ceteris constiterit.

Nullus sine prçuio examine, &c. promouendus.

5 Absoluto itaque 3. Probationis anno, si non fuissent antea satis perspecti, & exercitati (tunc enim statim illo finito, Prouinciales

Post trienniū in ministeri s, ad gradū proponantur.

les Generalem monere debebunt) triennium integrum in varijs ministerijs exerceantur, quo absoluto proponantur omnes iuxta formulam. Idem etiam faciendum est in ijs, qui absolutis iam studijs Societatem ingressi sunt, qui etiam exacto biennio probationis, & integro triennio in varijs ministerijs exercitati, probeq. perspecti, proponi debent, & si satisfecerint, promouebuntur. Pro Coadiutoribus vero spiritualibus formatis, si sufficientem doctrinam pro eo gradu habuerint, & probationes peregerint, iuxta ordinem alias datum, non excedant septennium ab ingressu in Societatem, quin proponantur.

Idē de iis qui absolutis studiis in Societatē ingrediuntur.

Coadiutores spuales post septēnium.

6 Verum quia nonnumquam contingit, vt quidam, licet legitimo tempore in Societate fuerint, nec eis doctrina sufficiens, & aliæ eiusmodi qualitates desint; propter iustas tamen causas adhuc differendi sint; saltem nos certiores facere debent de causis, ob quas eos non proponunt, vt scire possimus, quare prætermissi fuerint. Quin etiam contingere potest, vt mutatis Superioribus Prouinciarum, cum successores non sint informati, aliter iudicent de eisdem personis, & condemnent prædecessores, eo quod putent illos negligentia prætermissos.

Causę scribēdę de nō propositis ad gradus.

7 Conuenit etiam, vt ij, qui iustas ob causas non promouentur, nec proponuntur, syn-

Syncere monendi de singulis cur nō promoueātur.

ſyncere moneantur de eorum defectibus, ita vt eis dicatur, habere quidem partes ſufficientes, & ſufficienti tempore fuiſſe in Societate; ſed non promoueri ob hunc, vel illum defectum: ſunt etiam hortandi, vt ſe emendent. quare huius rei peculiarem curam habere oportet.

Quomodo informantes interrogandi & quomodo reſpondendum.

8 Vt omnia autem maiori cum luce ad Dei gloriam fiant, eorum quæ ſubijcientur, capitum informationem quæret ab ijs, qui vnumquemque proponendum melius nouerint, interrogando ſiue de doctrina, ſiue de moribus, ſiue de aliis, quibus hæc magis cognita & perſpecta eſſe potuerunt. Ad quæ reſpondebunt omnes quid ſentiant coram Domino cum prudentia, & caritate, easq. reſponſiones vel voce, vel ſcripto Prouinciali tradent.

Informationes cõfectas cum Conſultoribus communicet.

9 Ex his reſponſionibus Prouincialis ſeparatim ſuam de ſingulis informationem accurate, ac dilucide conficiet, easq. omnes cum ſuis Conſultoribus communicabit, tacitis tamen nominibus eorum, a quibus acceptæ fuerint: deinde ſuam ſententiam ipſe, vt & Conſultores ſeparatim, iuxta propoſitas informationes, quantumuis hominem non nouerint, diſtinctis literis ad Præpoſitum Generalem mittet, eumq. certiorem faciet, a quibus vniuſcuiuſque informationem

Separatim ad Gñalẽ ſcribat.

nem acceperit.

10 Idem etiam Prouincialis, non solum Consultoribus, sed aliis quibuscumque, a quibus aliquam informationem acceperit, Generalis nomine significabit, vt si quid præterea sciant, quod aliquibus de caussis non censuerint in Prouincia manifestandum, id omnino ipsi Generali perscribant.

Secretum seruādum.

11 In his autem omnibus, non solum diligentia, & prudentia, sed etiam secretum, quod oportet, adhibendum erit, & omnino curandum Prouinciali, ne in tanta re vllam officij sui partem prætermittat.

Interrogationes iuxta quas Prouinciales ad Generalem mittent informationem de proponendis, vt vel Professi, vel Coadiutores formati fiant.

CAP. II.

Nomen patriæ.

1 NOmen, patria, ætas, valetudo, & vitæ genus ante ingressum.

Qñ & vbi admissus.

2 Vbi, & quando admissus, & an experimentis omnibus, quæ in examine præscribuntur, in Nouitiatu probatus; sin minus quid causæ fuerit.

De profectu in virtutibus.

3 Quantum profecerit in virtutibus a suo ingressu, præsertim in sui contemptu, obedientia, fraterna charitate, simplicitate, paupertatis affectu, & amore Instituti, & an in vocatione vnquam vacillauerit, aut ab ea etiam defecerit.

De tépore & profectu studiorum.

4 An quadriennium integrum, vel quantum temporis post artium liberalium, & Philosophiæ studium in Theologia expleuerit; & num postea, atque quamdiu eidem repetendæ, & legendis Patribus operam impenderit, quantumve in iis rebus profecerit, & etiam quantam Iuris Canonici peritiam habeat.

De 3. anno probat.

5 An, & qua satisfactione suis studiis absolutis

ſolutis (niſi ea ante ingreſſum abſoluerit) tertium probationis annum iuxta Conſtitutiones peregerit.

6 An, & quanto tempore literas humaniores, Philoſophiam, aut Theologiam docuerit, aut Caſus conſcientiæ explicauerit, & quanta in ſingulis huiuſmodi artibus, & ſcientijs tradendis eruditione, & doctrina polleat.

Quamdiu docuit.

7 An, & quandiu in prædicationibus, alijsq. miniſterijs ſalutis proximorum verſatus ſit, & quanta cum gratia, facultate, & animarum fructu ea exercuerit, quaque ædificatione cum externis, præſertim in Miſſionibus, ſi quas obiuit, ſe geſſerit.

Quamdiu in miniſteriis ſe exercuerit.

8 An, & quamdiu adminiſtrationem aliquam Societatis obierit, quaque prudentia, humilitate, modeſtia, integritate, caritate, & ſatisfactione domeſticorum, & externorum Subditos rexerit, & negotia tractarit.

Quamdiu gubernauerit.

9 Sequaturne extraordinarias opiniones, peregrinumve aliquem, alienumve a noſtro Inſtituto ſentiendi, aut procedendi modum, præſertim in doctrina, in orandi ratione, & aliis ſpiritualibus exercitijs. Denique an ſit proprij iudicij amator, & in affectibus parum mortificatus.

De opinionibus peregrinis.

10 Sitne deuotus, & orationi deditus, ſalutis animarum zelator, & in negotijs promouendis, & difficultatibus ſuperandis ſtrenuus, ac fiducia in Deum fretus. Denique an

De oratione & zelo animarum

optet labores, & alia incommoda pro Dei gloria, & proximorum salute perpeti, præsertim inter gentiles, & hæreticos.

De ambitu

11 An aliquod regendi munus, aut dignitatem ambierit, aut ad Professionem, Sacerdotium, literarumve altiora studia aspirauerit, atque hæc per se, vel alium procurauerit; an potius semper visus sit, & adhuc iudicetur ad quemcumque Societatis gradum, & ad quæuis eius ministeria indifferens.

Quæ seruanda in cōficiendis coadiutorum tēporaliū informationibus.

Informationibus autem, quæ de Coadiutoribus temporalibus formandis mittuntur, satis erit, præter tria prima capita interrogationum, ea tantum attingere, quæ ad ipsorum statum proprie pertinent, & ex Constitutionibus par.1.cap.2.§.2. facile colliguntur, an scilicet sint bonæ conscientiæ, quieti, tractabiles, amatores virtutis, ac perfectionis, propensi ad deuotionem, qui domesticis, & externis ædificationi sint, & qui forte Marthæ in Societate contenti sint, &c.

Coadiutores temporales proponendi non sunt, antequam decimum religionis annum, ætatis vero trigesimum ad minimum expleuerint: neque enim par horum ac spiritualium ratio videri potest, quos post septem annos in Societate expletos proponi oportere præscripsimus.

Quæ

Quæ videntur obseruanda in examine eorum, qui de sufficientia literarum examinantur, vt ad professionem quatuor votorum admittantur.

CAP. III.

Quænã doctrina requiratur ad professioné quatuor votorum.

1 DOctrina in ijs, qui ad hunc gradum sunt admittendi, ea esse debet, quæ præscribitur 5. par. Constit. cap. 2. §. 2. vt scilicet ita in Philosophia, & Theologia profecerint, vt assertiones Logicæ, Philosophiæ, & Theologiæ scholasticæ tueri pro dignitate possint. Ex quo fit, vt non satis sit in his facultatibus mediocriter profecisse; neque enim tales ad hæc studia altiora admitti debent, nisi in quibusdam casibus, iuxta reg. Prouinc. 19. in Ratione studio. Hinc etiam secundo apparet non satis esse eam doctrinam ad hunc gradum, qua quis ad Confessiones tantum audiendas idoneus censetur, sed eam requiri, qua vel eas facultates prælegere cum satisfactione possit, vel non vulgariter concionari, vel Prouinciam administrare, aut quid simile. Constitutiones enim part. 10. §. 7. eos, qui ad hunc gradum sunt admittendi, viros doctrina selectos requirunt: quin etiam Bullæ Summorum Pontificum Iulij & Pauli III. ad hunc gradum viros literis conspicuos exigunt.

 2 Qua-

Quinam a Prouincia li examinatores cõsti tuendi.

2 Quatuor, qui sunt argumentaturi, & illum examinaturi, hi esse debent, qui huiusmodi iudicium de doctrinæ sufficientia merito facere possint; cuiusmodi ordinarie ij tantum esse videntur, qui eas facultates publice professi sunt, aut profitentur, vel certe, qui omnium iudicio sunt in illis bene versati. Monere autem Prouincialis Præpositum Generalem debet, quosnam in sua Prouincia ad id munus deputauerit.

A Gñali cõfirmãdi.

Quot assertiones tuédæ.

3 Quatuor saltem assertiones ex quatuor partibus Sancti Thomæ, & tres ex cursu Philosophico, Logica scilicet, Physica, & Metaphysica, quarum vnaquæque tria membra, aut puncta saltem habeat, defendere debebit, qui examinandus est.

Quo examen faciẽdum.

4 Examen hoc fieri debet coram Prouinciali, aut certe Rectore illius Collegij, in quo fit examen; nec alij quam Examinatores adesse debent, qui plane intelligant sui muneris esse, eos, qui examinandi sunt, serio, & non perfunctorie, aut leuiter, sed vt vere de doctrina fiat periculum, an tanta sit, quanta in Constitutionibus requiritur, vt supra dictum est, examinare.

Quomodo ab examinatoribus iudicium ferendum.

5 Absoluto examine, Examinatores suam sententiam in consultatione non dicant, sed re prius Domino commendata, & omni humano affectu seposito, quisque separatim, quid in hac re videlicet de sufficientia doctri-

næ tantum ſentiat, breuiter, ac diſerte ſcriptũ Prouinciali tradat (qui ſuum etiam mittet, aut qui eius loco examini præfuerit) prӕterea iudicium idem ad Præpoſitum Generalem mittat, addens etiam, ſi quid ſignificandum occurrat, quod Prouinciali aperiendum non cenſuerit: nulli autem præter hos quid quiſq. ſenſerit omnino communicet: quod etiam ſecretum maxime Prouinciali commendatur.

6 Ab hoc examine excipiendi videntur omnes, qui pro dignitate, & cum ſatisfactione audiẽtium has facultates profeſſi ſunt, aut profitentur, vel qui actum generalem mane & veſperi in Theologia habuerint, ſi ijs Patribus, qui Prouincialis iudicio diſputationibus intereſſe debuerint, ſatisfecerint.

Quinã excipiantur ab exãine?

Quæ

Quæ in Patrum Procuratorum Congregatione anno 1600. a Patribus excogitata sunt, & a R. P. N. Claudio Aquauiua Præposito Generali ad Prouincias missa.

CAP. IV.

Prouincialib. promouẽdorum cura seria comendatur, & pœnitentia præscribitur.

1 NE in posterum Prouinciales minus diligenter quam oporteat, in id incumbant, intelligant, hanc esse vnam ex præcipuis officij sui curis; sibiq. magna ope nitendum, vt informationes de promouendis suis temporibus opportune mittantur P. N. Generali: & si rei tanti momenti defuerint, sibi etiam imponendam esse pœnitentiam, ita vt in prouincia intelligatur, rem maxime cordi esse P. Generali.

Prouincialis visitãd' in fine.

2 Ad easdem querelas tollendas, & vt informationes citius, syncerius, & suo tempore ad P. N. Generalem perferantur, ij qui ex officio designantur ad exigendam rationem officij Prouincialium in fine triennij vniuscuiusque Prouincialatus, diligenter inquirant, an Prouinciales seruauerint omnia, quæ de informationibus ad P. Generalem opportune mittendis præscripta sunt: &

sin-

ſingillatim num aliquem, de quo mittenda eſſet informatio, quacumque ex cauſa præterierint.

3 Qui ex alijs prouincijs adueniunt in prouinciam aliquam Societatis, non promoueantur in illa prouincia, niſi prius acceptis informationibus ab ea, ex qua diſceſſerant, aut in qua diutius verſati ſunt. Et Prouinciales illarum prouinciarum, vnde diſceſſerunt illi, teneantur ſaltem ſemel ſuo tempore proponere iſtos præuijs informationibus, ſicut alios, quos habent in prouincia; dummodo ſint iuxta formulã in miniſterijs exercitati.

Quõo informationes capiendæ de iis, qui ex vna prouincia in aliam commeant.

4 Ne in informationibus contingant defectus, ex quibus iuſtæ querelæ oriri poſſint, vt eæ in poſterum ſynceriſſime fiant, onerentur conſcientiæ Informatorum, & Conſultorum Prouincialium, & Prouinciales ipſi diligentiſſime obſeruent, ne prædicti, aut eorum aliquis ſit vlla ratione ſuſpectus. Et nos quidẽ hic quod in nobis erit, id vnum in primis curabimus diligenter, cum huiuſmodi informationes vna cum PP. Aſſiſtentibus examinandæ, cenſendæq. erũt, vt qualitatis potius informatorum ratio, quam numeri habeatur: & probatiores alijs præferantur. Demum ſi qui ex Conſultoribus Prouincialis eum non nouerint, de quo conſultatur, iudicio Prouincialis præter Conſultores vocetur ad conſultatio-

Quomodo ſinceræ fiant informationes.

tationem vnus aliquis ex grauioribus,cui ille, de quo agitur, notus ſit.

Scripto defect' tradantur.

5 Ne conquerantur, vt faciunt multi, quod moniti non ſint de defectibus, propter quos retardatur eorum promotio, hæc admonitio in poſterum ſcripto tradatur: & ſcribant Prouinciales P. N. Generali de monitione ſcripto facta, cum declaratione defectuum.

PRA-

PRAXIS CONFICIENDARVM informationum iuxta formulam de promouendis ad gradus.

CAP. V.

1 PRouincialis cum singula Collegia visitat, informationes de promouendis, si qui in illis sunt, accipiat; quæ a quatuor vt minimum sumi debent, qui eos bene norint, iuxta §. 7. formulæ. Ex responsionibus autem, quas ab ijs, qui informarunt, de singulis capitibus habuerit, propriam de vnoquoque promouendo informationem componat, apponatq. numerum eorum, qui idem sentiunt, hoc fere modo.

Prouincialis quā a quibus & quomodo informationes cōficiat.

Informatio de P. N. N. a quatuor vel pluribus Patribus accepta.

Ad 1 P. N. N. Romanus, annorum 40. robustus, vel infirmus, &c. ante ingressum operā dabat Philosophiæ, vel Theologiæ, vel iuri, &c.

Aetas.

Ad 2 Admissus est Mediolani annò 1580. 20. Martij, omnibus experimentis in Nouitiatu

Tempus Societatis.

tiatu probatus, vel experimenta non perfecit ob infirmam valetudinem: non enim potuit peregrinari, vel inseruire infirmis.

Progressus in virtutibus.

Ad 3 In virtutibus bene, vel mediocriter, vel parum profecit, vt omnes informatores, vel duo tantum sentiunt. Sui contemptum non habet, vel habet &c. secundum omnes, vel vnum, vel tres. Est obediens, vel non, vel parum, aut multum profecit in obedientia, Paupertatis affectu, &c. De Instituto bene sentit, illudque amat, vel contra: ita duo sentiunt &c. In vocatione non vacillauit, vel aliquando vacillauit ob hanc, vel illam causam, &c. (Non intelligimus autem in vocatione vacillasse quempiam, si dum in probatione versaretur, fuit de vocatione tentatus, &c.) ab ea tamen non defecit, &c.

Quod autem de tribus his capitibus dictum est, faciendum in reliquis.

Confectæ Informationes cũ Consultoribus cõicandæ.

3 Peracta autem sua de vnoquoque promouendo informatione, eas omnes cum suis Consultoribus examinabit, iudiciumque illorum de informationum veritate singulis informationis capitibus apponet, tam si consentiant cum ijs qui informarunt, quam si ab illis dissentiant, tacitis tamen Consultorum nominibus, hoc qui sequitur modo.

Ad 3 In virtutibus bene, vel mediocriter, vel

vel parum profecit, vt omnes informatores, vel duo tantum sentiunt: quibus consentiunt Consultores omnes, vel duo, vel vnus, &c. Sui contemptum non habet, vel habet, secundum omnes, vel vnum, vel tres, &c. Aliter tamen sentiunt omnes, vel duo Consultores; quibus videtur sui contemptor, &c.

Quo informantium & consultorum iudicia attexenda.

4 Absoluto in hunc modum informationum examine, iudicium, vtrum ille promouendus videatur, an non, & ad quem gradum promouendum censeant, tum ipse Prouincialis, tum Consultores, secretis & separatis literis ad Præpositum Generalem scribant.

A Prouinciali & cõsultoribus separatim ad Gñalem scribẽdum

5 Scribat etiam Prouincialis, a quibus de vnoquoque informationem acceperit, & cum quibus Consultoribus eas examinarit: non erit autem necesse, quod quisque in singulis capitibus dixerit, ponere: sed satis erit si id fiat, cum in aliqua responsione de re alicuius momenti inter se non consentiunt: tunc enim in informatione ponendum erit, vnum, duos, vel tres ex informatoribus, vel Consultoribus ita sentire, alterum, vel alios in contraria esse sententia, & in charta aliqua separata scribendum, eos, qui contra sentiant, esse PP. talem, vel talem.

Scribendũ quoque a quibus acceptæ, & quib⁹ cum cõicatæ.

6 Animaduertant Prouinciales, informationes de promouendis non solum claro, & di-

Quõ scribẽdę informationes.

& distincto charactere scribi debere, sicut & literæ Prouincialis & Consultorum, cum margine ad excipiendam sententiam nostram, sufficienti, dum a nobis cum PP. Assistentibus recognoscuntur, apposita anni nota, quo factæ fuerint: sed in diuersis præterea folijs, seorsim ab ijs, quæ de idoneis ad gubernandum conscribuntur; cum separatis in Archiuio loculis, vt facilius reperiantur, asseruandæ sint. Cæterum Consultores cum Prouinciali, qui sua simul iudicia priuatis ad id literis transmittent, eundem illum numerum, & ordinem promouendorum, qui in informationibus erit descriptus, retinebunt in suis quisque literis ad nos scribendo, ita vt de primo, & secundo, primo, ac secundo loco, atque ita deinceps de reliquis scribant, ad singulos numeros, eius, de quo agunt, nomen, & cognomen adscribendo: tum de singulis significando, primum quemnam ad gradum idoneos censeant, an ad quatuor scilicet votorum, aut trium professionem, an vero ad vota Coadiutorum spiritualium; deinde an statim promouendos iudicent, an adhuc differendos, vt clarius apparebit in paradigmate.

Idē numerus ab oīb. in scribēdo seruandus.

Literæ de promouendis quādiu asseruādæ & subinde legendæ,

7 Literæ nostræ de promouendis, quas certo aliquo in libro tamdiu conseruari oportet, quoad expediti fuerint, de quibus agitur; ne qua oriatur perturbatio, aut obliuio

apud

apud ſequentes Prouinciales, ſubinde ab illis reuoluendæ, ac legendæ ſunt, vt mature ad nos referant, an executioni mandatum fuerit, quod conſtitueramus. Qua in re ad nos ſcribendo id obſeruabunt, vt priore loco verba ipſa literarum noſtrarum producant, appoſita nota diei & anni a quo datæ. deinde quid iuxta eas actum, effectumve ſit, ſubijciant, vt ſummam tandem de vnoquoque ſententiam pronuntiemus.

Quō ad eundem de ijſdē reſcribendum.

Q PARA-

PARADIGMA FORMVLÆ SCRIBENDI

ab ijs, qui ad Præpoſitum Generalem de promouendis ſicut de aptis ad gubernandum ſeparatis quiſque literis ſuam ſententiam, iudiciumque ad eundem mittere debebunt, iuxta paragraphum ſextum. Cap.v.Praxis conficiendarum, &c.

CAP. VI.

1 P. Blaſius Coriolanus ad profeſſionem quatuor votorum mihi promouendus videtur, vel profeſſione quatuor votorum dignus videtur, &c. ſed per annum differendus.

2 P. Melchior Miraldus dignus mihi quidem videtur profeſſione trium votorum, & quamprimum ad eum gradum promouendus.

3 P. Franciſcus Verelinus formandus mihi videtur, ſed ad annum differendus, vt matureſcat magis.

4 P. Diomedes Rinaldinus, & ſi ad pro- feſſio.

fessionem quatuor votorum peridoneus mihi videtur ob præclara eius talenta; differri tamen poterit ad duos annos, cum sit adhuc iuuenis, & nouus in Societate.

5 P. Gaspar Armellus, quamprimum ad professionem quatuor votorum, vel trium promouendus erit, vel cito formandus.

6 P. Nicolaus Pepelinus, ob insignem eius virtutem, dignus esset professione quatuor votorum; sed cum in eo multa desiderentur, quamprimum ad professionem trium votorum promouendum censeo,

7 P. Theodorus Cangoscus, & si idoneus quidem erit ad professionem quattuor votorum, vel trium, omnino differendus, monendus, & serio iuuandus in spiritu mihi videtur.

8 P. Lælius Bobalinus, & si formandus quidem esset, cum sufficiens in eo desideretur doctrina; quia tamen insigne talentum habet concionandi, vel gubernandi, iudico promotum iri oportere ad professionem quatuor votorum, &c.

PARADIGMA INFORMAtionis iuxta formulam de promouendis ad gradus.

CAP. VII.

Informatio de P. N. N. a quatuor PP. accepta, & cum Consultoribus examinata.

Aetas & studium.

1 P. N. N. Romanus, annorum 40. robustus, vel infirmus, &c. ante ingressum operam dabat Philosophiæ, vel Theologiæ, vel Iuri &c.

Temp' admissionis in Societatem.

2 Admissus est Mediolani anno 1580. 20. Martij, omnibus experimentis in Nouitiatu probatus præter peregrinationem, &c. quam non obiuit ob infirmam valetudinem, &c.

De profectu in virtutibus.

3 In virtutibus bene profecit, vel parum, vel mediocriter, vel fere nihil, secundum omnes, vel ita sentiunt duo ex Informatoribus, quibus consentiunt omnes, vel duo Consultores. Sui contemptum non ostendit habere, vel habet, vel in sui contemptu bene profecit, aut parum, &c. ita sentiunt omnes, vel duo, vel plures, quibus assentiunt Consultores, vel dissentiunt, &c. In obedientia, &

pau-

paupertatis affectu nonnihil, vel multum profecit: Institutum amat, vel non amat; de eo bene, vel non bene sentit, &c. In vocatione nonvacillauit, vt aiunt Informantes; duo tamen ex Consultoribus credunt semel vacillasse, vel idem sentiunt Consultores, vel non vacillauit secundum omnes. A vocatione semel, vel bis, vel nunquam defecit, vel quia durioris erat iudicij, vel altiora studia appetebat, defecit, &c.

De tẽpore & profectu in studiis.

4 Post absolutum in Societate, vel extra, Philosophiæ cursum, quadriennium, vel vnum, aut duos annos, studuit Theologiæ, atque in his studiis bene, vel parum, vel mediocriter, vel plusquam mediocriter profecit. Ita sentiunt omnes, idemq. affirmant Consultores, vel ita affirmant tres ex Informantibus; Consultores autem contra sentiunt cum altero Informante, &c. Post absoluta studia, per annum, vel per biennium illa repetijt, vel non repetijt, & Patribus legendis operam dedit, vel non dedit, cum bono profectu, vel mediocri, &c. Iuris canonici peritiam non habet, vel mediocrem habet, vel bonam, &c. vel antequam Societatem ingrederetur, studia Theologica absoluit cum bono profectu, vel mediocri, vel modico, vel in Societate post Philosophiæ cursum, in quo mediocriter, vel parum profecit, vel audita tantum Logica, studuit Casibus conscientiæ per bien-

 nium,

rium, cum modico, vel mediocri profectu, &c. Ita omnes sentiunt.

De 3. probationis anno.

5 Absolutis studiis tertium probationis annum peregit cum bona, vel mediocri, vel modica satisfactione. Ita duo informantes, quibus consentiunt Consultores; vel tertium probationis annum ex parte per sex, aut octo menses fecit, quia infirmus erat, vel ob necessitates Prouinciæ cum eo dispensatum est de Præpositi Generalis licentia; vel quia non proficiebat, & aliis erat impedimento, &c. Ita omnes Informantes, dissentiunt tamen duo, vel plures Consultores; vel tertium probationis annum non fecit, quia tunc non erat in vsu, vel quia fuit dilatus propter occupationes vel infirmam valetudinem, &c. vel quia ingressus est absolutis studijs. Absoluit autem tertium probationis annum mense Maio anni 1595.

Quamdiu docuerit.

6 Docuit Grammaticam, vel literas Humaniores, vel Rhetoricam, vel Philosophiam, vel Theologiam, vel Casus conscientiæ vno, vel pluribus annis, cum eruditione, & magna doctrinæ existimatione, vel mediocri, vel modica, & cum multa, vel mediocri satisfactione nostrorum, vt sentiunt Informantes: contrarium tamen affirmant Consultores, &c. aiunt enim ingenio esse obscuriore.

7 Conciones habuit per sex annos cum mo-

modica, vel magna gratia, & ſatisfactione audientium: ad id munus enim magnum, vel modicum talentum habet, vel externis ſatisfacit in concionibus, quia curioſa, & delectabilia potius, quam vtilia ſolet tractare, &c. Ita ſentiunt duo, vel tres, vel omnes Informantes; ſecus autem ſentiunt duo, vel tres ex Conſultoribus, &c. Confeſſiones audiuit ab 8 annis cum fructu, & ædificatione, & huic muneri eſt, vel non eſt applicatus propter ſcrupulos, &c. In miſſionibus, in quibus per annum verſatus eſt, bene, vel male, & cum fructu, vel infructuoſe ſe geſſit: ita vnus ex Informantibus. Contrarium tamen aſſerunt Conſultores cum reliquis.

Quādiu ſe in miniſteriis exercuerit.

8 Fuit Rector vel Miniſter in Collegio Mantuano tribus, vel pluribus annis: quod munus magna cum humilitate, modeſtia, integritate, & caritate obiuit: deſiderabatur tamen in eo maior prudentia, vt tres ex Informantibus, & vnus ex Conſultoribus affirmāt. Ideoq. noſtris quidem bene, vel mediocriter, vel parum ſatisfecit, non tamen externis, vel contra. Ita omnes Informantes: quibus adhæret vnus tantum ex Conſultoribus; vel, numquam fuit Superior in Societate, &c.

Qua ſatisfactione gubernauerit.

9 Sequitur, vel non ſequitur extraordinarias opiniones, & peregrinum, aut alienum a noſtro Inſtituto procedendi modum, in rebus ſpiritualibus tractandis, præſertim

De peregrinis opinionibus.

in orandi modo, &c. Ita ſentit vnus ex Informantibus, cui adhærent omnes Conſultores. Non eſt, vel eſt proprij iudicij amator, & in affectibus parum eſt mortificatus, vel affectus habet mortificatos. Ita omnes ſentiunt, tam Informantes, quam Conſultores.

De ſtudio orationis & deuotionis.

10 Eſt, vel non eſt deuotus, & orationi deditus; zelum animarum habet, vel non habet. Ita ſentiunt duo, vel tres, contrarium tamen affirmant omnes Conſultores. In negotijs promouendis, & difficultatibus ſuperandis eſt, vel non eſt ſtrenuus; eſt enim timidioris naturæ, licet fiducia ſit in Deo fretus: ita ſentiunt omnes. Optat labores & incommoda pati pro Chriſto, etiam inter Gentiles: ardenter enim cupit mitti ad Indos, vel labores pro Chriſto non appetit, ſed refugit, nimius enim eſt proprijs commodis curandis. ita tres ex Informantibus: licet duo ex Conſultoribus illum excuſent, ob infirmam valetudinem.

De ambitu

11 Regendi munus, aut dignitatem non ambit, vel ambiſſe videtur: id enim tres ex Informantibus, & duo ex Conſultoribus affirmant, licet negent alij. Ad Sacerdotium, vel altiora ſtudia non adſpirauit, vel adſpirauit: ita duo Conſultores credunt; licet omnes alij contrarium cenſeant. Profeſſionem procurauit, vt duo affirmant. Alij vero aiunt,

aiunt, illum oſtendiſſe quidem deſiderium profeſſionis, non autem illam procuraſſe. Indifferens creditur, vel non creditur ad quemcumque gradum, & ad quæuis Societatis miniſteria. Dubitant duo ex Conſultoribus de eius indifferentia ad quæuis miniſteria; aiunt enim ſe difficilem oſtendiſſe ad audiendas confeſſiones.

FOR-

FORMVLA QVARTA CATALOGORVM

Qui tertio quoque anno a singulis Prouincijs in vrbem mitti debent.

R. P. N. Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis iussu recognita, & anno 1589. in Prouincias missa.

CAP. I.

Catalogi rerum vtilitas.

1 QVONIAM paucæ admodum Prouinciæ sunt, quæ per Procuratorem singulis triennijs cum primo & secundo catalogo personarum, alterum catalogum Domorum, & Collegiorum cum

cum suis reditibus mittant, qui rerum catalogus dici potest; cuiusque & Constitut. par.9. cap.6. §.3. & Instructio quædam anni 1579. meminit, operæpretium visum est, Prouinciales omnes monere, ne hunc catalogum prætermittant. Nam quam hic sit vtilis, & necessarius, res ipsa indicat, vt scilicet Domus, seu Collegij cuiuslibet præsens status breui compendio P. N. Generali ob oculos ponatur. Quamuis enim in cuiusque Domicilii fundationum historiis, huc in Vrbem ad Archiuium iam pridem, maiori ex parte, transmissis, eorumdem status ad illud vsque tempus narrationes contineantur (quas idcirco repetere opus amplius non erit, præterquam ijs, qui eas nondum miserunt) præsentem nihilominus cuiuslibet saltem triennij statum Generalis Præpositus ignorare non debet. Quem etsi aliqua ex parte ex annuis literis habere posset, quia tamen illæ a paucis suo tempore mittuntur, & ea non attingunt, quæ ad rerum temporalium conditionem pertinent; nec si attingerent, facile esset inde repetere: propterea necessario fuerunt monendi Patres Prouinciales, vt iuxta subiectam formulam curent hunc rerum catalogum, cum supradictis duobus alijs personarum catalogis, singulis triennijs ad R. P. N. Generalem transmitti: atque alterum eorumdem catalogorum exemplar ad P. Assistentem.

Catalogus rerum singulis trieniis cum aliis p pro curatore mittend⁹.

2 Prin-

FORMVLA QVARTA CATALOGORVM

Qui tertio quoque anno a singulis Prouincijs in vrbem mitti debent.

R. P. N. Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis iussu recognita, & anno 1589. in Prouincias missa.

CAP. I.

1 QVONIAM paucæ admodum Prouinciæ sunt, quæ per Procuratorem singulis triennijs cum primo & secundo catalogo personarum, alterum catalogum Domorum, & Collegiorum cum

Catalogi rerum vtilitas.

cum suis reditibus mittant, qui rerum catalogus dici potest; cuiusque & Constitut. par.9. cap.6. §.3. & Instructio quædam anni 1579. meminit, operæpretium visum est, Prouinciales omnes monere, ne hunc catalogum prætermittant. Nam quam hic sit vtilis, & necessarius, res ipsa indicat, vt scilicet Domus, seu Collegij cuiuslibet præsens status breui compendio P. N. Generali ob oculos ponatur. Quamuis enim in cuiusque Domicilii fundationum historiis, huc in Vrbem ad Archiuium iam pridem, maiori ex parte, transmissis, eorumdem status ad illud vsque tempus narrationes contineantur (quas idcirco repetere opus amplius non erit, præterquam ijs, qui eas nondum miserunt) præsentem nihilominus cuiuslibet saltem triennij statum Generalis Præpositus ignorare non debet. Quem etsi aliqua ex parte ex annuis literis habere posset, quia tamen illæ a paucis suo tempore mittuntur, & ea non attingunt, quæ ad rerum temporalium conditionem pertinent; nec si attingerent, facile esset inde repetere: propterea necessario fuerunt monendi Patres Prouinciales, vt iuxta subiectam formulam curent hunc rerum catalogum, cum supradictis duobus alijs personarum catalogis, singulis triennijs ad R. P. N. Generalem transmitti: atque alterum eorumdem catalogorum exemplar ad P. Assistentem.

Catalogus rerum singulis trienniis cum aliis p procuratore mittend'.

Quomodo conficiendus.

2 Principio igitur recenſebitur numerus noſtrorum omnium, qui in Prouincia ſunt, ſimulq. eorum ſeorſim, qui proximo triennio, vel in Societatem admiſſi, vel ab ea dimiſſi, vel vita defuncti ſint: tum Domorum, Collegiorum, & Reſidentiarum numerus, ac nomina addantur: dicatur præterea, quot e noſtris in ſingulis illis Domicilijs habitent. Deinde vero ad ſingula Domicilia ſuis quæque diſtincta capitibus deſcribenda deſcendendo, noſtrorum, qui in ſingulis ſunt, numerus repetatur; ac præterea addatur, quot in his ſint Sacerdotes, quot Præceptores, quot Scholaſtici, & quarum facultatum: quot item Coadiutores temporales, qui nam reditus, vel ordinariæ eleemoſynæ, quantum æris alieni, ac reliqua, iuxta ſubſequentem formulam.

PRA-

PRAXIS

CATALOGVS PROVINCIÆ Romanæ.

CAP. II.

1 SVnt in Romana Prouincia de Societate 549. in Professorum Domo 90. in Collegio Romano 190. Tusculi decem, in Domo Probationis 90. in Pœnitentiariorum Collegio 21. in Germanico 13. in Anglicano sex, in Maronitarum duo, in Seminario vigintiduo, Tibure duodecim, Senis octodecim, totidem Maceratæ, Florentiæ viginti tres, Perusij sexdecim, Recineti quatuordecim, in Lauretano Collegio 45. & quatuor in Illyrico. Admissi hoc triennio in Societatem 100. dimissi 9. vita functi 15.

Numerus personarū recensendus.

Domus Professorum.

2 AVcta est insigni Templo, Illustrissimi Farnesij Cardinalis liberalitate exstructo, superiore anno consecrato. Sunt nonaginta e nostris; Sacerdotes 50. reliqui fratres: possunt ali ex eleemosynis ordinarijs circiter septuaginta; æs alienum contractum ad mille coronatos; ad quod in totum, vel ex parte, dissoluendum, habet creditam pecuniam tantam,

Quæ in domibus professis explicanda.

tam, vel nullam, &c, Vtitur Vinea Collegij bis, terve in anno, pro necessaria nostrorum animi relaxatione.

Collegium Romanum.

Quæ in Collegiis.

3 ALit e nostris 190. Sacerdotes 40. Prælectores 18. nempe Grammatices quatuor, in totidem Classibus; Humaniorum literarum vnum, linguæ Græcæ vnum, Rhetorices duos, linguæ item hic Græcæ vnum; Mathematicarum vnum, Philosophiæ tres, Scholasticæ Theologiæ duos, Scripturæ vnum, Casuum conscientiæ duos, Scholares nonaginta, reliquos Coadiutores. Ad omnes has prælectiones nulla obligatione tenetur Collegium, vel tenetur ad has, vel illas, ex fundationis contractu. Annui redditus sunt nouem millium scutorum, ex qua summa mille sunt deducendi annui census, qui pro summa principali quindecim millium scutorum æris alieni contracti penditur, præter alia tria millia commodato accepta: ad quæ dissoluenda habet in credita pecunia totidem millia, vel his plura, aut pauciora. Ex reliqua summa ali possunt circiter 150. Eodemq. modo pergendum in reliquis Prouinciæ Domicilijs.

4 Quoniam vero multum temporis interdum insumitur, dum alicuius informatio

in

in primo perſonarum Catalogo quæritur; ad illius faciliorem vſum, ad quemuis ſcilicet e noſtris nullo negotio inueniendum, Index Alphabeticus nominum tantum, & cognominum omnium eorum, qui in ipſo Catalogo continentur, erit eidem præfigendus, addito numero, qui cuique nomini præfixus eſt in primo Catalogo, ac prætereà numero paginæ, in qua nomen ipſum deſcribitur. Debebunt enim ſingulæ primi Catalogi paginæ ſuis ordine numeris notari. Exempli gratia,

Index Alphabetic' præfigendus.

P. Albertus Felix, pag.6.num.12.
P. Antonius Magnus, pag.7.num.15.
P. Bernardinus Cœlius, pag.9.num.14.
P. Bonauentura Turre, 9.num.18.
P. Camillus Bernardi.9.num 6.
P. Cornelius Broeth, 12.num.7.

FOR-

FORMVLA QVINTA

CELEBRANDORVM CONTRACTVVM,

Iuxta morem, & Priuilegia Societatis.

A R. P. N. *Claudio* Aquauiua *Præposito Generali anno 1581. ad* Prouincias *missa.*

CAP. I.

Quinā cōtractus repugnāt instituto.

1 QVONIAM, sicut accepimus, in nonnullis Societatis nostræ Prouincijs adhuc celebrantur contractus congregatis ad pulsum campanæ, vel omni-

omnibus Collegiorum Sacerdotibus, & fratribus, vel maiori, aut potiori eorum parte; acceptisque, coram Notario, & testibus, suffragijs: quæ omnia repugnant Instituto, & modo procedendi Societatis, ac priuilegijs illius: serio curent Præpositi Prouinciales, vt contractuum celebrationes per Superiores tantùm, auditis nempe Consultoribus fiant, & ad normam Instituti accommodentur. Quòd si alicubi difficultates moueant externi, quibuscum contrahendum erit; curent Prouinciales, vt illis vel per se ipsos, vel per Collegiorum Rectores, ac etiam per Iurisperitos, quos prius ea de re consuluerint, ostensis locis Constitutionum, Canonum, & Bullarum, persuadeant firmiores, ac securiores multo fore contractus, si iuxta priuilegia nobis ad id in specie a Sede Apostolica concessa celebrentur; prout est in Bulla Pij V. pag. 103. & Gregorij XIII. 169. & iuxta Constitutiones, ac Decreta Societatis; Constitut. part. 9. ca. 3. §. 5. & primæ Congregat. generalis Decret. 21. titul. 6. quàm si diuerso quopiam modo; ad quem nos cum priuilegia non habeamus, facilius contractus ipse infirmari, & an alicuius valoris sit, a multis dubitari possit. Nam alioqui magnum præiudicium generaretur primum priuile-

Quomodo conficiēdi.

Docendi qui ignorāt firmiores esse si iuxta nostra priuilegia fiant.

gijs Societatis, quæ per non vſum obſoleſcerent; deinde facilitati contrahendi, ac libertati Societatis; & modo eam gubernandi.

Quando & quomodo interſint Conſultores.

2 Quòd ſi pro celebritate contractus, ij quibuſcum tranſigitur, velint vt Conſultores celebrationi interſint; quamuis Societatis Inſtituto id magis conſentaneum eſſe videtur, ſi ſolus Superior id faceret; poterunt quidem illi intereſſe; ſed ſic, vt in ea re ſuffragium non habeant deciſiuum; ita neque in ipſo contractu dicendum erit, quòd ad eam rem conficiendam ſuffragium tulerint: ſed præſentibus N. & N. dicti P. Rectoris Conſultoribus, idem Rector vendidit, &c. Si autem opus fuerit, aut ita videatur, poterit initio contractus aliqua mentio fieri de modo contrahendi Societatis iuxta illius priuilegia, & Conſtitutiones auctoritate Apoſtolica confirmatas: vt ſi verbi gratia, ita fieret narratiua.

Formula contractus celebrandi.

3 Perſonaliter conſtitutus N. Rector N. aſſerens ſe ad infraſcriptam venditionem, vel permutationem ſufficientem habere poteſtatem a R. P. Generali Præpoſito, penes quem omnis facultas celebrandi contractus reſidet, iuxta dictæ Societatis Conſtitutiones, & Decreta, Apoſtolica auctoritate confirmata, prout de confirmatione conſtare

re

re affert litteris Apostolicis fel. record. Pij Papæ Quinti, sub plumbo expeditis, & sub Datum Romæ 3. Kalend. Maij 1568. Pontificatus eius anno 3. & de licentia dicto Rectori concessa litteris patentibus manu eiusdem Præpositi Generalis subscriptis, eiusque sigillo munitis, quarum tenor talis est, CLAVDIVS AQVAVIVA, &c. omni meliori modo, quo de iure potuit, idem Rector vendidit, vel commutauit, &c.

Modus informandi R. P. Generalem circa alienationes faciendas.

CAP. II.

CVm petitur a R. P. Generali licentia alienandi, vel commutandi bona aliqua Collegiorum, hic modus seruandus erit.

Rei alienandæ nomen, cōfinia, valor explicāda.

1 Vt rei alienandæ nomen, confinia, valor, & reditus, & si quæ sunt aliæ circumstantiæ, explicentur.

Res vel reditus accipiendus.

2 Simili modo rei, vel reditus, qui in cōmutatione accipiendus est, vel pretio rei vendendæ coemendus, circumstantiæ eodem scripto comprehendantur.

Rationes.

3 Rationes in vtramque partem adducantur.

Quinā sub scribant.

4 Rector & Consultores, si consentiant in alienationem, subscribant scripto huiusmodi tractatus, seu informationis: cui si qui non assentiant, id etiam eodem scripto adnotetur, simul cum rationibus, quæ hos ad non assentiendum mouerint.

Scriptum a Prouinciali mittatur

5 Scriptum illud ad Prouincialem mittatur; & ipse sententiam suam simul cum eodem scripto ad R. P. Generalem mittat.

6 Si tractatus, vel informatio de re alie-

nanda

nanda prædicto modo detur, concedet, si expediens videbitur, R. P. Generalis licentiam simul, & confirmationem alienationis; confirmando ex nunc, pro eo tempore, quo alienatio fiet, quia constabit de euidenti vtilitate, expressis nempe in informatione vtrisque rebus, alienanda scilicet, & emenda, seu commutanda, cum vtriusque circumstantijs.

Quando a Generali dabitur facultas alienandi.

7 Si autem adsit necessitas vendendi, nec occurrat in specie res pretio venditionis coemenda, dicatur saltem in genere, quòd sit vtilius emere possessionem, vel reditus tales, &c. qui frequenter venales occurrant. Et tunc poterit etiam eòdem modo dari confirmatio, simul cum licentia vendendi. alias licentia quidem dabitur, non tamen confirmatio, quia neque constabit de vtilitate vlla: immo si pecuniam pretij rei vendendæ diu vacuam fore probabiliter timeretur, omnino expediret similes alienationes non fieri.

Quando nulla occurrit in specie res coemẽda.

8 Intelligant etiam omnes Superiores, quotquot alienabunt, districte illis ex nunc prohiberi a R. P. N. Generali, ne pecunias pretij rei venditæ in alios vllo modo sumptus distrahant, præterquam in rem, vel reditum, cuius emendi causa fuerit data facultas vendendi, vel certe in similem, aut meliorem,

Seuere omnib. interdicitur alienatio &c.

ſi interim occurrat: & quamdiu id non fiat, pecuniam pretij huiuſmodi in depoſitum cuſtodiant, donec res alia coematur.

Idem iudicium de cenſu redimibili.

9 Idem intelligendum erit, quando pretium cenſus alicuius redimibilis reſtituitur Collegio; vt illud eodem modo ſeruetur ad ſimiles, vel meliores reditus comparandos.

✠

FORMVLA SEXTA

QVAE SERVARI DEBET CVM SODALITATES B. VIRGINIS

Ad primariam Romanam aggregari petunt.

R. P. N. Claudij Aquauiuæ Præpositi Generalis iussu 1585. ad Prouincias missa.

CAP. I.

1 ROMANA B. Virginis Annunciatæ Sodalitas Summi Pontificis Gregorij XIII. auctoritate confirmatâ, quia reliquas tempore antecessit, & eius exẽplo omnes deinceps inductæ sunt, Pri-

Romãa Cõgregatio Primaria Pontificia auctoritate appellãta.

Primariam Summus Pontifex appellari voluit, eiq. certas indulgentias impertiri: facultatem deinde Præposito Generali Societatis Iesu concedens, vt reliquas Congregationes auctoritate Apostolica erigere, easq. huic Primariæ coniungere posset. Quam facultatem Sixtus V. extendit ad aggregandas etiam plures Congregationes in eodem Collegio, vel Domo, vel in Seminarijs; & Clemens Octauus in quibuscumque Residentijs, sub quouis titulo, etiam non studentium, ita vt eisdem indulgentijs, quibus ista fruerentur, sic tamen, vt reliquæ indulgentiæ, quas tum isti Romanæ, tum cæteris omnibus Congregationibus antea concesserat, intelligantur omnes reuocatæ.

Præposito Generali cóceditur facultas erigendi & aggregan. Sixti V. & Clem. VIII extensio.

2 Quare vt deinceps in hac sodalitatum aggregatione certa aliqua formula, & omnibus communis seruetur, visa est R. P. N. Generali hæc tenenda. Primum vt Prouincialis Rectores suos admoneat, quorum in Collegijs iam sunt eiusmodi Congregationes, vt earum Præfectis, & Assistentibus significent, esse illis binas epistolas scribendas; alteram ad R. P. Generalem, penes quem est omnis potestas, qua petant suam Congregationem institui certo aliquo sub titulo, & aggregari ad hanc Primariam Collegij Romani, cũ eius indulgentijs: alteram ad ipsum Præfectum, & Assistentes huius Primariæ; rogando

Quot litteræ scribendæ.

Titul' declarandus.

do vt hæc eadem apud P. N. procurent. Quod ipsum intelligendum est de Collegijs, vbi nondum sit vlla erecta Congregatio. Cum enim Rectori, accedente etiam Prouincialis iudicio, videbitur, tot esse personas, & tales, vt noua Congregatio institui debeat; iubebunt aliquos ex ijs qui id cupiunt, binas item litteras huc scribere, eodem plane quo diximus argumento. Atque hoc modo debebunt Congregationes omnes denuo erigi, ac confirmari. Quod vt ad Dei, & Virginis Matris, sub cuius vmbra militant, honorem, ac gloriam cedat, ipsius infinitam bonitatem ex animo precor.

Quãdo facienda aggregatio.

3 Postremo duo hic adscribenda visa sunt notatu digna, alterum quod ædificationi magnopere conducit, ne expensæ quæ in exscribendis litteris patentibus pro aggregationibus Sodalitatum B.V. & pro communicatione bonorum operum Societatis fieri consueuerunt, ab alijs quam ab ipsis Prouincijs suscipiantur; quibus sumptibus faciendis peculiari aliqua ratione, ne Collegia aut Domus grauentur, Prouincialis erit prospicere. Alterum est, quod puritate paupertatis nostræ deseruiet, vt nostri intelligant, atque omnino sibi persuadeant, Congregationes, quarum directio a Societate suscipitur, nullo modo bona immobilia, aut certos reditus admittere posse, cum nec Societas, penes quam

Quorũ expensis aggregationes scribendæ.

 est

est erigendi aggregandiq. facultas, capax sit eorum redituum, nec ipsa Sodalitia, quæ per se stabile ac perpetuum quoddam corpus cõstituere nequaquam possunt, cum eiusmodi ea esse oporteat, vt quandocumque nostri subducere se voluerint, eo ipso dissoluantur. quod ægre fieret, si corpus vnum efficerent, certoq. reditu potirentur. Accederet inter alia multa illud etiam incommodi, quod si Sodalitates nostræ reditus certos haberent, essent omnino, sicut & aliæ externorum Confraternitates, visitationibus Ordinariorum obnoxiæ, quo vno maxime præsidio a Constitutione Clementis Octaui ne comprehenderemur, immunes fuimus.

Certos reditus non possunt admittere.

✠

INDEX RERVM, QVAE TOTO LIBRO CONTINENTVR.

Alie-

Alienatio.

Annuæ literæ.

Archiuium.

Assistens.

Au-

Catalogus.

Coadiutores.

Collegium.

Communicatio bonorum.

Communio.

Commutatio.

Compendium.

Conferentiæ.

Confessarij externorum.

Conſcientia.

Conſideratio.

Conſtitutiones.

Conſultatio.

Conſultores omnes.

Conſultores Superiorum localium.

Do-

Custos.

Diaconi.

Dimittendi.

Directorium.

Discipuli.

Doctrina.

Dominium.

Do-

Examinatores.

Excommunicatio.

Exempla.

Exemptio.

Exercitia.

Exhortationes.

Ex-

Experimenta.

Familiaritates.

Fœminæ.

Generalis Præpositus.

Gubernaturi.

Habitatio.

Historia.

Hora Considerationis.

Horologia.

Hortus.

Hospitalia.

Imagines.

Laicus.

Lectio.

Legitima.

Libri.

Literæ.

Magister Nouitiorum.

Pœ-

Scholæ.

Scholastici nostri.

Scribere.

Su-

Superior, præsertim localis.

Syndicus.

Tem-

LAVS DEO.